Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-1192015415-184843715-10

Gb. 590 b.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-1192015415-184843715-10

TITI LIVI
HISTORIARVM LIBRI XCI.
FRAGMENTVM
ANEKΔOTON

DESCRIPTVM ET RECOGNITVM

A

CLARISS. VIRIS

VITO M. GIOVENAZZIO

PAVLLO IACOBO BRVNS

EX SCHEDIS VETVSTISSIMIS
BIBLIOTHECAE VATICANAE.

EIVSDEM GIOVENAZZII IN IDEM
FRAGMENTVM SCHOLIA.

CVM PRAEFATIONE

IO. AVGVST. ERNESTI.

. . . τὸ δὲ ζητούμενον
Ἀλωτόν· ἐκφεύγει δὲ τἀμελούμενον

SOPHOCL. in Oedip. Tyr. v. 110.

ROMAE CIↃIↃCCLXXIII.

ET *LIPSIAE* APVD IO. FR. GLEDITSCH.

KŒN.FRIED.
UNIVERS.
ZVITLALIE

IO. AVGVSTVS ERNESTI
LECTORI ERVDITO

Magna hieme ſuperiori fama exorta eſt de Fragmentis Livianis, Romae in Bibliotheca Vaticana a PAVLLO IAC. BRVNSIO, Viro docto, repertis, et mox in lucem prodituris. Vix fidem nobis fecere, qui narrabant. Nam cum paullo ante hic ipſe fuiſſet, et plures horas nobiscum conſumſiſſet variis, de itinere, Italico inprimis, ſermonibus, nullam ejus rei mentionem injecerat, nec ejus rei ſilentio apud nos premendae cauſſa in mentem veniebat. Sed non ita multo poſt etiam ex Italia ejus rei nuncius eſt allatus, et ſpes facta exempli potiundi, quod Romae cum viri docti notis fieret. Non ita multo poſt id Roma miſſum huc eſt a IO. LVDOV. BLANCONO, Viro illuſtri. Is cum oſtendiſſet, ſibi placere, ut libellus ille apud nos repeteretur, veniretque in manus multorum, etiam praefationis noſtrae commendatione: ſuſceptum eſt negotium, atque, ut vides, abſolutum. Dubitationem videbantur afferre debere exempla eorundem fragmentorum, in Germania curante BRVNSIO Hamburgi facta: ſed quia in iis fragmenta

gmenta erant nuda, sine emendationibus et notis, (nam tres adnotationes subjectae vix numerandae sunt,) nihil ea morae attulere. Res autem sic est instituta, ut libellus haberet formam exemplorum Livii, nuper in hac urbe factorum, ut iis addi posset.

Habes igitur, Lector docte, hic illa ita celebrata sermonibus fragmenta; quae Livii esse, et argumentum et oratio, et omnia alia docebunt lectorem eruditum. Nam argumentum quidem plane convenit in librum Livii eum, cujus sub numero fragmenta illa in libro Vaticano extant: cum in ejusdem libri epitome res Sertorianae sint. Genus autem orationis Livianum esse, nos ipse ille sensus noster dubitare non sinit, quo nos assidua Livianorum librorum inde a pueris lectio, post crebra in scholis interpretatio ad hunc etiam sensum imprimendum discentibus accommodate facta, imbuit. Habebit autem horum fragmentornm diligens tractatio, adjuncta annotationum lectione, plurimum apud studiosos harum literarum utilitatis. Etenim primum ipsa dabunt exercitationem legendae scripturae majusculae et continentis: adnotationes autem IUVENATII, Viri doctissimi, acuent ad inveniendas emendationes corruptorum in libris scriptis verborum,

borum, quo genere vitiorum etiam antiquissimos libros non carere, vel haec tam antiqua fragmenta docent, praesertim in nominibus hominum atque locorum. Nam in tam paucis paginis, quam multa hujus generis vitia sunt!

Sed ut de adnotationibus Viri eruditissimi proprie dicamus, primum, nostro quidem judicio, si non omnia, at pleraque verba corrupta bene correxit: quod in scriptura tali, iis, qui primum tractant, satis est. Etenim multus et longus nos usus docuit, admirandae quosque doctrinae viros, cum librum aliquem scriptum, praesertim tali genere scripturae, primi tractassent, et scriptoris veteris libros inde vel edendos vel emendandos suscepissent, nunquam ita vel ingenio felices, vel oculis acutos, denique in diligentia constantes fuisse, ut omnia vel corrigerent, vel ad usum criticum observarent: unde in multis necessitas exorta est, ejusdem exempli iterum inspiciendi, tractandique curam repetendi. Et in hoc genere satis saepe vidimus, ea etiam oculorum et ingenii judiciique aciem effugisse interdum, quae aliis primum legentibus occurrerent: quale est in his IUVENATII notis hoc, quod in nomine *M. Masii*, quem Sertorii quaestorem facit Livius, vitium scripturae non vidit.

Nam in hoc nomine, cujus nullum uſpiam in monumentis latinis exemplum occurrit, ut nunc eſt, quisque in his literis verſatus videtur haerere debere: nec difficile videtur ſtatim animadvertere, *M. Marii* hic nomen latere; e quo, ſicut e *Furiis* facti ſunt in multis libris *Fuſii*, ſic *Maſii* factum eſſe. Et occurrit in hiſtoria Sertoriani belli *M. Marius* apud Plutarchum in Sertorio: ut haec quidem correctio, uti facilis, ita certa ſit.

Non ita longe a principio diſſentiunt in lectione libri ſcripti exhibenda IVVENATIVS et BRVNSIVS. Nam ille exhibet: *neque materia artificibus praeparatis ante omnibus nixo civitium — idio:* hic *enixo givitium — udio:* In correctione vitii autem iidem diſſentiunt. Nam BRVNSIVS conjicit *in ipſo:* non tactis reliquis: unde adeo nihil efficitur: at IVVENATIVS, *enixo civium*, vel *civitatium, ſtudio.* quod nobis ſane placet. Enimvero abſoluta erit loci correctio interpunctione apta in hunc modum: *nec materia artificibus, praeparatis ante omnibus enixo civitatium ſtudio, nec ſuo quisque operi artifex deerat:* quae ſunt plane concinnitatis Livianae.

Perſuaſit etiam ſibi cum BRVNSIO, hoc in fragmento eſſe veram ſcripturam nominis legati ſertoriani,

sertoriani, qui apud alios modo *Hirtulejus*, modo *Herculejus*, modo aliter appellatur. Hic est *Hertulejus*. In quo nobis dubitationem affert analogia nominum Romanorum. Nam nomina hujus formae fiunt velut e stirpe nominis in *ius*: ut ab *Egnatio*, *Egnatulejus*. Sed nullum tale nomen latinum est, unde *Hertulejus* ductum sit. At *Hirtulejus* est ab *Hirtius*. Sed illas literas, *e* et *i*, in omni lingua pronunciatio permutat.

Commendationem porro ut fragmentum ipsum inde habet, quod Geographiae Hispanicae prodest, editis quibusdam locorum nominibus, quorum nulla apud alios mentio; ita annotationes ex eo, quod ei ipsi Geographiae et scriptoribus antiquis geographicis, in his Plinio, aliquoties prosunt. In nominum istorum genere Vir Clar. etiam *Contrebiam* ponit: id nobis nomen primum in fragmento legentibus, nihil novitatis videbatur habere; et nunc quoque de novitate paullulum dubitamus, quod illud nomen et alibi videmur legisse, etsi apud quem et ubi, non occurrit. Sed res non est tanti.

Saepe etiam in his scholiis latius disputatur super antiquis rebus, et monumentorum veterum scriptura, quam et instituti ratio postulabat et scholiorum ratio ferre videbatur, et aliquoties in

rebus non obscuris, sed valde hodie obviis, ut de permutatione literarum V et B, de scriptura *emtum* et *emptum*, etc. Verum id remittendum viro docto, non breves et jejunas, ut vulgo iudicant, notulas criticas addere volenti, sed quae copia rerum, si non valde necessariarum, at utilium, allicerent lectores.

Illud nobis jucundum fuit legere, quod Vir doctus promittit editionem fragmentorum Augusti cum commentario suo, quam nos cupide exspectabimus.

Ceterum, quomodo haec fragmenta reperta, et e quo genere Codicis, qua cura et diligentia sint descripta, ejus rei narrationem habet FRANC. CANCELLERII V. C. praefatio, ut de ea re nobis nihil dicendum videatur. Scr. a. d. VIII. Kal. Octobr.

IOHANNI

9

IOHANNI BAPTISTAE REZZONICO

R. E. DIACONO CARDINALI

TIT. NICOLAI IN CARCERE TVLLIANO

MAGNO HIEROSOLYMARI ORDINIS

PRIORI

FRANCISCVS CANCELLERIVS S. P. D.

Quum multis de cauſſis vehementer affectus ſum, quum primum hoc T. LIVI fragmentum ἀνέκδοτον ad me pervenit,

tum ea potissima exstitit, quod videbar rem aliquando nactus esse, quae nec amplitudine tua omnino indigna esset, nec me, si eam muneris loco tibi, PRINCEPS EMINENTISSIME, offerrem, pudere ejus deberet. Qua enim primum die (quae dies sacra mihi quidem semper ac religione quadam colenda erit) ABVNDIVS me frater tuus, Vrbis Senator, Princeps egregiis corporis animique dotibus, sibi ab epistolis esse jussit, jam tum me non minus illi, quam et tibi et utriusque fratri CAROLO, qui et ipse alterum purpurati Senatus ornamentum, ac lumen est, ita devinctum sensi, ut, quoad ingenii mei vires paterentur, quamque primum possem, enitendum mihi esse constituerim, aliquam ut vobis grati animi significationem publice darem. Verum tenuitatis meae conscius quid tandem cudere, quid cusum offerre vobis possem, omnino nesciebam. Ac videbam equidem, quo vos amore (id quod rarissimi

exempli

exempli est) conjuncti inter vos estis, quidquid uni vestrum offerrem, fore, ut proprie singuli, tamquam sibi uni oblatum, existimaretis; tamen illud ipsum, quod vel tibi, vel fratribus tuis sisterem, debitamque vobis communiter observantiam et officium meum probarem, in hac tanta virium mearum mediocritate, seu potius inopia, non reperiebam. Sed accidit paucis his ante diebus sane percommode, quod Livianum hoc fragmentum in meas manus pervenit, quod continuo typis, quam nitidissime fieri potuit, expressum, tuoque nomini inscriptum in tuas transfero. Quid autem tibi eo praestantius ac nobilius sisti a me potuit? quid adprobatione, conspectuque tuo magis dignum? Novimus enim te, CARDINALIS AMPLISSIME, jam inde ab adolescentia non eorum mores sequi instituisse, qui si generis nobilitate, opibus, honoribus, ceterisque, quae extrinsecus adveniunt, ac fortunae bona appellari vulgo solent,

solent, nitantur, satis famae, satis existimationi suae apud praesentes et posteros consultum arbitrantur; verum, quum abunde his omnibus instructus esses, nihil ut aliis ipse invidere, tibi plurimum alii possent, illud nihilominus conatum semper fuisse, ut non tam alienis atque externis laudibus, quam propriis ac tuis clarescères, nec minus splendoris recte, ac sapienter vivendo, omnique virtute excolenda, ad posteros transmitteres, quam a majoribus acceperis. Itaque ingenium, quod acre, atque excellens a natura sortitus es, sic a principio excolendum suscepisti, tamquam si non vetustarum imaginum ac titulorum, sed unius doctrinae atque eruditionis commendatione adspirandum tibi ad honores esset, aditusque ad eam dignitatem, quae summo fastigio proxima est, aperiendi: quumque in humaniores litteras toto pectore incubueris, easque semper amaveris, tum historiae praesertim cognoscendae mul-

to

to diligentiorem operam, eamque ferme quotidianam navasti. Qua ex re mirifica illa tua, planeque singularis in agendis rebus dexteritas, atque solertia effloruit, quae quum in illustri loco posita neminem lateret, inde factum est, ut boni omnes jam inde te in publica ac privata hominum commoda natum intelligerent, omnesque tibi de se, deque republica benemerendi facultates ominarentur, quumque primum ad remp. accessisti, ut ampliores in dies munerum procurationes ad te deferrentur, votis omnibus concupiscerent. Nihil enim est tam magnum, quod non polliceri sibi abs te merito, ac jure posse arbitrarentur: siquidem, quod recte multi sapientes pronunciarunt, virtutes omnes uno quodam societatis quasi vinculo contineri, id, si exempla desint cetera, tua unius vivendi, tua agendi ratio comprobaret. Quod eo lubentius dico, quod neminem quidem futurum puto eorum, qui te Romae praesentes praesentem intuen-

intuentur, quibusque probe cognitus es, cui haec mea oratio falsa possit, atque adsentationi, quam veritati propior videri. Quis enim in te non ardentissimum Romanae Ecclesiae dignitatis conservandae studium? quis non singularem animi firmitatem ac magnitudinem? non dictorum factorumque omnium comitem, et moderatricem prudentiam admiratur? Cui profusa in calamitosos, atque egenos benignitas obscura est? Quem tua erga omnes humanitas, morum suavitas, atque facilitas latet? Quis denique non regalem prope magnificentiam tuam summis in caelum laudibus extollit? Cujus quidem magnificentiae, si per ceteras laudes tuas liceret, quae reclamare quodammodo mihi, mecumque conqueri viderentur, testem appellare possem Aventinum, totque in eo sumptus abs te factos, tot refecta, vel de integro exstructa regio prope animo monumenta ad immortalitatis memoriam consecrata. Sed quo

me

me tuarum laudum commemoratio imprudentem abripuit? Equidem, ut illuc redeam, unde digressa est oratio mea, nihil arbitror a me tibi offerri potuisse gratius, nihil institutis a te vitae rationibus accommodatius, nihil etiam beneficiis, quae in me contulisti maxima et amplissima, convenientius, quam quod disertissimi romanarum rerum scriptoris praeclarum fragmentum tuo nomini inscribendum curaverim. Feret enim id, opinor, quamvis mole exiguum, feret, inquam, aetatem, et ad omnes gentes, ubicumque in honore sunt litterae, ejus fama pervagabitur. Quapropter non modo apud eos, quorum hic ante oculos quotidie versaris, verum etiam apud exteros, atque, ut futurum auguror, apud posteros quoque hae chartae loquentur, meque nomini, majestatique tuae devotissimum esse, nisi falsa mihi spe, vanisque imaginibus blandior, non ignorabitur. Qua ex re uberrimum, ac maximum qualiscumque laboris

boris hujusce mei in hoc edendo opere fructum jam nunc percipere mihi videor. Interim a te, PRINCEPS EMINENTISSIME, etiam atque etiam peto, ut officii hoc erga te mei, gratique animi testimonium aequi bonique, quae tua humanitas est, consulere velis, meque patrocinio tuo tueri pergas. Vale.

Ex aedibus capitolinis
VII. Kal. Martias CIↃIↃCCLXXIII.

FRAN-

FRANCISCI CANCELLERI IN T. LIVI FRAGMENTVM ΑΝΕΚΔΟΤΟΝ PRAEFATIO

Quae res mihi, reique publicae litterariae universae, bene prospereque eveniat, T. Livii Historiarum fragmentum ἀνέκδοτον, haud ita pridem in bibliotheca Vaticana repertum, atque a CC. VV. Vito M. Giovenazzio, Paullo Iacobo Bruns descriptum cum cura ac fide edo. Nec vero valde laborandum in eo esse mihi video, ut lectoribus, ad primum hujuscemodi rei nuntium de fuco, ut fieri solet, suspicantibus, pro virili occurram, omnemque apud eos a me fraudis suspicionem amoliar. Non enim dubito, quin plerique eorum, qui has paginas in manus sument, libelli inscriptione, atque adeo rei ipsius insolentia ac novitate permoti, continuo ii non ad haec quidem mea, sed ad ipsius Livii, quod promitti sibi videbunt, ἀποσπασμάτιον recta advolaturi sint, acriterque pro se quisque animum intendent. Quod si facient, statim post duo, tresve fragmenti versus a se lectos, facile auguratur mihi animus, suspicionem eos omnem ultro ex animis deposituros. Nam quod de Phidiae signo dici vulgo consuevit, simul adspectum ac probatum fuisse; vel potius, quod Livius ipse initio libri XXI. narrat de adolescente

 Annibale,

Annibale, quum is Carthagine in Hiſpaniam ad patris exercitum trajecit, *eum primo ſtatim adventu omnem exercitum in ſe convertiſſe: Amilcarem viventem redditum ſibi veteres milites credere; eumdem vigorem in vultu, vimque in oculis, habitum oris, lineamentaque intueri;* id ipſum omnino huic fragmento eventurum confido, ac ne unum quidem (modo ne is in Livii lectione omnino hoſpes ac peregrinus ſit) futurum, qui illud ſemel viſum non ſtatim probet, probatum autem non legitimum florentiſſimi romanarum hiſtoriarum ſcriptoris foetum agnoſcat. Quocirca quum ſatis hac quidem parte per ſeſe res ipſa loquutura ſit, operae pretium me facturum puto, ſi hac cura ſuperſedens, miſſiſque longioribus exordiorum ambagibus, continuo ad hiſtoriam reperti fragmenti perſequendam adgrediar; tum quid in eo deſcribendo curae ac laboris a clariſſimis viris impenſum fuerit, quid in edendo a me praeſtitum, ut quam ornatiſſimum, et quam accuratiſſime expreſſum, quantum quidem in me fuit, in manus doctorum virorum venire poſſet, denique ſi qua alia hujus generis a curioſis lectoribus exſpectari ſolent, paucis expediam.

§. I.

Reperti Liviani Fragmenti Hiſtoria.

Verſabatur Romae ante hos non multos menſes vir doctiſſimus Paullus Iacobus Bruns Lubecenſis, vt hebraicos veteris Inſtrumenti codices

dices conferret in editionem, quae modo apud Anglos C. V. Benjamini Kennicotti opera adornatur; cujus rei gratia quum alias romanas bibliothecas frequentare, tum Vaticanam in primis, ampliſſimum illud atque auguſtiſſimum Muſarum domicilium, ſolebat. Ibi quum hoc illudve volumen pro tempore ac re conſulendum ſibi, ac conferendum ſuſciperet, incidit forte in codicem membranaceum Palatinum num. XXIV, quem non infimae notae eſſe, ex C. V. Franciſci Blanchini, qui et ſpecimen characterum ejus codicis in aes inciſum exhibet, Vindiciis didicerat. Complectitur autem is codex hiſtorias Tobiae, Iudithae, Iobi atque Eſtheris a Hieronymo converſas. Itaque dum illum librum pervolvit, animadvertit ex eorum numero eſſe, quos vulgo eruditi *Reſcriptos* appellant, de quibus, ſi cui id genus librorum ignotum eſt, videri poſſunt Clariſſimi Montfauconius in ſua Palaeographia, Knittellius ad Fragmenta Vlphilae, Auctores novi operis diplomatici, aliique, quos laudat elegantis vir ingenii Iohannes Auguſtus Erneſtus in Archaeologia litteraria. Quare dum, quid in receſſu rei lateret, quidque ſcriptum in eo antiquitus fuerit, ſcrutari pro virili adnititur, titulum offendit multo, quam reliqui, majoribus characteribus expreſſum in hunc modum:

INCIPIT PRO ROSCIO.

Pergit porro vir ſtrenuus, atque unum alterumque verbum, quod exculpi facilius potuit, cum initio orationis pro Sex. Roſcio Amerino quum

contuliſſet, deeſſe ea animadvertit in excuſis Ciceronis libris. Quare certo ſibi perſuaſit, initium orationis in mſ. eſſe non pro Sexto, ſed pro Quincto, quod hactenus deſiderabatur. Itaque rei novitate perculſus ad virum ingenio, et doctrina praeſtantiſſimum, quemque fruſtra pro meritis laudare ſperem, Vitum M. Giovenazzium, quo familiariſſime utebatur, recta advolat, rem, ut acciderit, narrat, atque, inſequenti die ut una in bibliothecam conveniant ad rem propius explorandam, ab eo contendit. Quid multa? In bibliothecam venitur, codicem poſcunt, inſpiciunt, ac quod orationis pro Quincto initium putaverant, inveniunt pro Sexto. Erroris autem cauſſa ea exſtitit, quod quae Brunſius duo jam ante verba in membranis legerat, ea in altera periodo orationis pro Amerino hoc Roſcio ſcripta reperiebantur, vt fruſtra quaeſiverit in prima. Illa autem *INCIPIT PRO ROSCIO* non, ut ſolet, principem locum ſcripturae obtinebant, ſed ad libri oram, atque adeo ad ſiniſtrum legentis latus, pluribuſque diſtincta verſibus ſcripta erant: ut non mirum fuerit, ſi ipſis e regione non prioris, ſed ſequentis periodi initium reſponderet.

Quum hoc loco res eſſet, quumque elapſam ſibi de manibus praeclaram ſpem intelligerent, parum abfuit, quin librum abjicerent, quodque reliquum antemeridiani illius diei erat, in alia omnia impenderent. Ac feciſſent profecto, feceratque jam Brunſius, qui ſeſe, eo depoſito, jam ad hebraicos ſuos codices retulerat. Sed Giovenazzius,

venazzius, qui numquam antea librum viderat, hactenusque in explorando Ciceronis, de quo dixi, pro Roscio orationis loco totus fuerat, antequam inde discederent, obiter eum sibi (ut fieri nimirum solet, quum primum in librum numquam antea a nobis visum incidimus) pervolutandum suscepit. Nec longe abiit, quum in Livianas has schedas incurrit. Sistit hic enimvero parumper admiratus litterarum nitorem, conformationem, elegantiamque, quales nusquam, nec in Bembi Terentio, nec in Vergilii exemplaribus, Vaticano, aut Mediceo, nec in ceteris, quorum scripturae specimina in aes impressa circumferuntur, observare meminerat. Non difficulter etiam pauca verba ex tribus versibus, qui in margine exstant, quibusque nihil supra scriptum est, legit; quo facto parem, vel longe profecto, id quod successus postea docuit, majorem gratiam Brunsio suo relaturus ad eum accurrens, hem, quid hactenus, inquit,

Italiam sequimur fugientem?

Immo, pergit,

Huc geminas nunc flecte acies,

quantique pretii prae reliquis omnibus hae unae membranae sint, quantam elegantiam, quantam vetustatem prae se ferant, animadverte. Itaque hoc potius agamus censeo, ut quid ipsae secum ferant, penitus dispiciamus, nec ante de manibus deponamus, quam totas, quantaecumque eae sunt, percurrerimus. Omnino enim, sive in vulgus nota atque edita continent, magnum ope-

rae pretium fecerimus, si scripta cum editis conferantur, sive hactenus ignorata ineditaque, longe profecto majus. Haec ille. Brunsius autem, qui unus crystallinas lentes secum in eum usum adtulerat, aciem in tituli vestigia intendens, ac veluti per transennam, si ita loqui fas est, supra scriptarum litterarum semel iterumque prospiciens, diserte tandem legit

TITI LIVI LIB. XCI.

Ita praeclarum lacteae eloquentiae Scriptoris fragmentum, quod tot aetatum et saeculorum intervallo in bibliothecarum angulis neglectum, et inhonorum delituerat, in lucem, et in adspectum prodiit.

§. II.

Quid in eo describendo curae a CC. VV. impensum sit?

Nunc, quantum operae positum sit a clarissimis viris, ut illud eruerent, nemo aestimare vere poterit, qui ms. ipsum non viderit. Hujus enim ms. adeo vetustate corruptae, adeo obsoletae fugientesque litterae sunt, ut qui ex ipso novae scripturae margine tres versus exstant, ii magnam quidem partem non sine difficultate legi possint, ceteri autem non solum propter vetustatem, verum etiam propter recentiorem, qua de loquuti sumus, scripturam vix, ac ne vix quidem, dignoscantur. His igitur difficultatibus quum ferme obruerentur, haud multum itineris certe confeciissent, planeque ab incepto destitissent, nisi

alter

alter alteri praesto fuisset, animosque ad opus urgendum perficiendumque addidisset. Ac profecto, si quod res est, dicere volumus, non minimum momentum, ut Livii ipsius verbis utar, ad hoc κειμήλιον ex situ, et tenebris vindicandum fuit, quod in duorum hominum, alterius Germani, alterius Itali manus inciderit, quorum uterque, quam laudem sibi utriusque natio veluti propriam ac peculiarem vindicat, in ea maximum in modum praestabat, patientia et laboris perpessione Germanus, judicio atque intelligendi sollertia, et celeritate Italus. Nam singula non dico verba, sed litterarum vestigia rimari, atque ita rimari, ut modo plura, modo pauciora esse tecum statuas, nunc unius, nunc alterius elementi signa putes, nunc recto ordine, ut nos latini solemus, nunc, ut ipsi per jocum dictitabant, ἐβραϊστὶ ad litteras adnumerandas, earumque potestates adsequendas versus percurrere, quanti, quaeso, laboris ac patientiae fuit? Contra vero litteras ipsas, postquam eas exceperis, alteram ex altera dignoscere, tum in suas quamque syllabas cogere, syllabas verbis, verba versibus, versus sententiae reddere, quanti acuminis ac perspicaciae? Ac quod sane dicturus sum, vix affirmanti alii crederem, nisi ipsemet vidissem, eiusque rei oculatus, ut est in proverbio, saepe testis fuissem. Ostendit enim, idque pluries, integras mihi chartas Giovenazzius, partim sua, partim Brunsii manu notatas his illisque litteris, quae nullam plane certam sententiam, sed ne vocem quidem

redderent, aliis ſuper alias additis, deletis, commutatis; quae quidem chartae, quum totum paene fragmentum mandari ipſis potuiſſet, tamen vix uni, alterique, raro pluribus verſiculis eliciendis atque eruendis uſui fuerant.

Sed quid pluribus rem perſequor? Sane ne ſic quidem proficere ſe valde intelligebant, ſed aut diutius, quam utriuſque tempora patiebantur, in opus ſibi eſſe incumbendum, aut omnino de ejuſdem abſolutione et perfectione deſperandum. Dum enim centies eodem redirent, ac Siſyphi exemplo, iterum iterumque idem ſaxum verſarent, dum alternis membranas inſpicerent, alternis legerent, alternis lecta exciperent, dum, ut in re praeterea taedii, laboris, ac difficultatis pleniſſima, animum ſubinde ab opere averterent, atque ultro huc illuc aberrarent, mirum quantum temporis effluebat. Quamobrem hoc tandem inter ſe conſilium inierunt, ut quandoquidem Giovenazzio non ita frequenter ad bibliothecam accedere per occupationes ſuas licebat, nec Brunſio per ſuas diutius in iis immorari, hic quidem deſcribendarum utcumque ſchedarum partes in ſe ſuſciperet, alter deſcriptarum in ſuam integritatem, et lectionis veritatem reſtituendarum. Ita et Brunſius quum liberiore, magiſque ſoluto animo, quod reliquum erat fragmenti, legeret, et alter ad matutini temporis, quo ſolo bibliotheca patet, pomeridiani ac veſpertini operam adjungeret, celerius ac commodius ipſum totum fragmentum legi, emendari,

dubiis

dubiis locis recognoſci, ac praeclare poſiti a ſtrenuis viris labores ſperatum exitum nanciſci potuerunt.

Haec paullo fortaſſe, quam opus erat, fuſius cenſui perſequenda, ut ſi qua ex hujus fragmenti lectione utilitas, ſi qua voluptas in doctorum virorum rempublicam redundabit, quam non levem utramque futuram auguror, in ea quantum viris clariſſimis debeant, juxta mecum omnes intelligant.

§. III.

Quid in edendo fragmento praeſtitum ſit?

Verum dum haec inter eos agerentur, ac totum paene fragmentum (quantum quidem legi potuit: cetera enim omnino oblitterata ſunt, planeque de eorum lectione conclamatum videtur) deſcriptum eſſet, ecce tibi ex improviſo coactus eſt Brunſius Roma diſcedere ad reliquas, quae in Italia ſunt, bibliothecas perluſtrandas. Quae res effecit, ut edendi conſilium, quod inierant, aut deponerent, aut in aliud tempus differrent. Ac quid Brunſius facturus ſit, quoniam is longe gentium jam abeſt, prorſus ignoro; ad Giovenazzium quidem certe quod attinet, ſive aliis rebus diſtentus, ſive ut ſolet in his ſtudiis, ex vetere illo, ut quidem videtur, Pythagorae ſcito apud Ciceronem, honeſtam quamdam ingenuo homine dignam voluptatem conſectari, praeterea nihil, de edendo quidem nihil modo cogitabat.

gitabat. Qua in re, fateor, nullo pacto judicium meum ad ſuum accommodabam, auctorque contra vehementer ipſi eram, ut ne diutius, quam ipſe hoc κειμηλίῳ reperto perceperat voluptatem, eam litteratis ceteris vulgando invideret; quid autem, addebam, an hercules ipſe eſſet, quarta, ut in graeco proverbio eſt, luna natus, cui aliis in omni vita laborandum eſſet, ſibi numquam? Quid plura? Enimvero tamdiu obtundere, fatigare, urgere hominem non deſtiti, quoad denique pervici. Itaque non multis his ante diebus ſchedas omnes ſuas e ſcriniis eductas mihi in manus tradidit, arbitriumque earum omne permiſit: ſtatuerem de iis modo, quod luberet: continerem domi, vel cum amicis communicarem; premerem apud me, vel in vulgus emitterem; ad ſe quidem quod attinebat, quidquid iis facturus eſſem, boni conſulturum.

Haec vir clariſſimus et amiciſſimus; cujus ego tam praeter exſpectationem maximo ac ſingulari munere auctus, quanta laetitia affectus ſim, quantoque opere geſtierim, ſi oratione adſequi me poſſe confidam, fruſtra ſim. Quocirca nihil cunctandum ratus, primo quidem ipſum apographum mea manu iterum deſcripſi ordine, quo Giovenazzius legendum eſſe, ad ejus marginem adnotaverat: non enim, ut hoc obiter moneam, quo primum fragmentum exceperunt, eo nunc editur: deinde exprimendum illud formis typographicis, quanta maxima cura ac diligentia potui, parique celeritate curavi. Qui enim doctorum virorum

rorum reipublicae, eo accepto, in aere esse coepi, sic mecum statui, nolle diutius, quam res pateretur, tamquam malum nomen, tale, tantumque ipsis gaudium debere. Accessit ad haec, quod in Giovenazzii apographo multa animadverti, quae illustrando, aut emendando Livii fragmento usui erant, quaeque ipse hic illic passim in margine adnotaverat; sed ea tam breviter chartis consignata erant, ut legenti statim in mentem venerit illius Gellii, qui de Nigidii Figuli hominis doctissimi commentariis quibusdam grammaticis loquens, ita scribit lib. XVII. cap. VII. *anguste perquam, et obscure disserit, ut signa rerum ponere videas ad subsidium magis memoriae suae, quam ad legentium disciplinam.* Ac videbam sane, plurimum lucis, atque etiam pretii editione, quam parabam, accessurum, si illae adnotationes simul publici juris fierent: necessarias etiam eas plane esse, quum ad schedarum et scripturae praesentem statum cognoscendum, tum etiam ad Livii textum inoffenso, ut ita dicam, pede percurrendum, et intelligendum. Quapropter non contentus priore amicissimi hominis liberalitate, eumdem pro amicitia rogavi, ut ne gravaretur, iis adnotationibus aliquantulum majoris lucis affundere, easque paullo amplius dilatare, quo non sibi solum, sed aliis praeterea usui esse possent; quod ille non aegre quoque petenti concessit. Ac de harum adnotationum praestantia nihil addam, ne videar, quod omnino non debeo, doctorum virorum judicia velle praevertere.

Ad

Ad haec rem, non plane injucundam ſtudioſis, qui in romanis, ſeu majoribus id genus characteribus legendis non ita ſunt exercitati, me facturum putavi, ſi idem fragmentum litterarum, et interpunctionum notis, qualibus nunc vulgo utimur, expreſſum, ac diſtinctum, ipſis legendum proponerem, eadem tamen ubique ſcribendi ratione, iiſdem naevis retentis, ut et majori cum animi voluptate, nullis inter legendum offenſi ſalebris, ipſum percurrere, et ſtatuere liberius de ejus aetate, germanaque quorumdam locorum lectione poſſint. Quae me pariter cauſſa impulit, ut ſpecimen characterum utriuſque membranae (duae enim omnino ſunt, quae Livianum fragmentum continent, quarum ſingulae dimidia ſui parte integram novi operis paginam efficiunt) exhibendum curarem. Quamquam fatendum eſt, haec ipſa ſpecimina non ita expreſſa fuiſſe, ut ſatisfacere omnibus, qui membranas inſpexerint, plane poſſint: mihi certe, non plane ſatisfaciunt. In quo tamen non tam ſcalptoris negligentia accuſanda eſſe videtur, quam temporis injuria agnoſcenda, quae autographi ſcripturam paene legentium adſpectibus eripuit.

§. IIII.

Fragmenti praeſtantia, et utilitas.

Reſtat modo, ut aliquid de fragmenti praeſtantia atque utilitate attexamus; in quo quaecumque dici longa atque exaggerata oratione a me

a me possent, huc denique reciderent, illud et T. Livii esse, et de Q. Sertorio loqui. Quae duae res si quem prima veluti fronte non afficiant, si cui non splendore et merito suo oculos praestringant, non video, quî movere hunc non dico mea, quae nulla est, sed disertissimi atque eloquentissimi cujusque oratio possit. Atque ut Livium, de quo praestat omnino nihil, quam pauca loqui, mittamus, eccui, quaeso, ignotum est, quam magnus vir Sertorius fuerit? quam magnum ejus in Romana historia nomen? quam magna de ejus virtute, et bellandi scientia opinio? Atqui de tali, tantoque viro quum multa jam ab initio *primo per ignobilitatem, deinde per invidiam scriptorum celata sunt*, ut scribit Sallustius, tum in postumam ejus famam videtur voluisse etiam grassari fortuna, quum, quae de eo, ut alios praeteream, immortalitate dignis litterarum suarum monumentis Sallustius, et Livius mandaverant, ea de medio prorsus sustulerit. Quanti igitur hoc ἀποσπασμάτιον faciendum est, in quo tam ceteroqui pusillo, tamen tam multa de homine illo explicantur, nullius adhuc qui exstet, quemque equidem viderim, scriptione cognita?

Atque haec quidem res, vel si una esset, mehercule quanta esset? Sed alia insuper accedunt nihilo levioris momenti: nonnulla videlicet nomina eorum, qui Sertorii partes sequuti sunt, quae huius nunc fragmenti ope in lucem prodeunt, aliquot etiam oppidorum, ac populorum.

Adde

Adde antiquam scribendi consuetudinem, tum illam, quae singulis verbis ex more, aut scito scribendis, aut interpungendis continetur, et ὀρθογραφίαν vocamus, tum hanc alteram, multo latioribus comprehensam limitibus, quae totam scriptionem, ejusque contextum, continuationem, dispositum contemplatur; quo loco majoribus, quo minoribus litteris uterentur; quo pacto novam paginam inchoarent, quo novum versum; quando interpungerent, quando litteras inter se necterent, quando etiam dedita opera praetermitterent; ceteraque hujus generis, quae quum sunt ipsa per se ad cognoscendum jucunda, tum mirabiles ad judicandum de toto hoc genere habent utilitates; qua de re non pluribus disputabo, quum neminem futurum arbitrer, qui, modo a Musis non usquequaque alienus sit, revocare eam in dubium possit.

Sed dimittendus es aliquando, Lector benevole, quod tamen pace tua non ante faciam, quam pro patria caritate, proque meo erga illam studio, Quirites omnes, cives meos, non quidem admoneam, aut adhorter, quod non debeo, sed, quod et debeo, et possum, majorem in modum obsecrem, atque obtester, ut ne patiantur in posterum thesauros, qui apud se delitescunt, ostendi ac patefieri sibi ab exteris, et inquilinis hominibus, et horum diligentiae, non suae, horum, non suis laboribus deberi praeclarorum pristinae suae virtutis ac nobilitatis monumen-

numentorum detectionem. Gloriatus sit olim Cicero, quod Archimedis sepulchrum, Syracusis dum esset, indagaverit, quodque *nobilissima Graeciae civitas sui civis unius acutissimi monumentum ignorasset, nisi ab homine Arpinate didicisset.* Nobis, si nostra opera nostrorum monumenta in lucem extrahantur, non tam id glorioſum erit, quam inhonorum et inglorium, si delitescant. Delitescent porro, si non omnem operam adhibebimus indagandis atque investigandis. Nec est, ut casu hujuscemodi res regi, non a cujusquam labore, diligentia, industria pendere existimemus. Hanc opinionis pravitatem ignaviae ac desidiae nostrae nimium blandientes si praetexamus, refellet eam satis superque hoc omnium recentissimum Liviani fragmenti detecti exemplum. Quum enim ille Bibliorum liber a multis ante Blanchinum, quum ab ipso quoque Blanchino visus fuisset, adeo isti, quid in eo thesauri lateret, non perviderunt, ut ne indicium quidem ejus rei perviderint, quod nimirum liber rescriptus esset; quum a Brunsio visus itidem fuisset, hic plus ceteris vidit, et rescriptum videlicet esse, et aliquid non ita expositum continere; quum denique a Giovenazzio, hic et vidit, quod res erat, et denique reperit, *non quod pueri*, ut ait ille apud Plautum Strobilus, *clamitant in faba se repperisse*, sed hujus ipsius, eoque non ficto exemplo auro contra carum litterarium hujusmodi thesaurum. Ita si postremorum diligentiam primi, in quorum

manus

manus liber inciderat, adhibuissent, quamdiu, oro, esset, quum hoc aureolo fragmento resp. litteraria frueretur? Quocirca non ab re feciſſe mihi visus sum, quum aversae tituli paginae sophocleum illud inscribendum curavi, ubi doctissimus poeta, a venatione translatis verbis, *capi* dicit, *et inveniri, si quid quaeratur, si vero negligatur, fugere et latere.*

T. LIVI

T. LIVI HISTORIARVM

LIB. XCI. FRAGMENTVM

Primo quidem litteris majoribus, seu romanis quam proxime fieri potuit ad archetypi similitudinem expressum, retentis iisdem paginarum et versiculorum distinctionibus; deinde ad nostrorum temporum scribendi et interpungendi rationem in gratiam studiosorum redactum.

XIX

LIB. XCI

TAMENINSEQVENTI
IPSO PERVIGILANTE
EODEMLOCOALIAEXCI
TATATVRRISPRIMALV
CE MIRACVLO HOSTIB
FVIT SIMVLET OPPIDI
TVRRIS QVAEMAXIMV-
PROPVGNACVLVMFVE
RATSVBRVTISFVNDA
MENTISDEHISCEREIN
GENTIBVSRIMIS ETTV
: : : : : : : : : :
IVS : : : VMIGNICOE
PITINCENDIIQVESIMV-
ET RVINAE METV TER
RITI CONTREBIENSES
DEMVROTREPIDIEFFV
GERVNTETVTLEGATIMIT
TERENTVRADDEDENDAM
VRBEM AB VNIVERSA
MVLTITVDINECONCLA
MATVM EST EADEMVIR
TVS QVAEINRITANTES
OPPVGNAVERATVICTO
REM PLACABILIOREM
FECITOBSIDIBVSACCEP
TIS PECVNIAE MODICA
EXEGITSVMMAMARMA
QVEOMNIAADEMITTRAN-
: VGASLIBEROS VIVOS

ADSEADDVCIIVSSITETFVGI
TIVOS QVORVM MAIOR
MVLTITVDOERATIPSIS
IMPERAVITVTINTERFI
CERENT IVGVLATOSDE
MVRO DEIECERVNT CV-
MAGNAIACTVRAMILI
TVM QVATTVORET QVA
DRAGINTADIEBVS CON
R .
TERBIAEXPVGNATA RE
LICTOQVEIBI·L·INSTEIO
: : : : : : : : : :
AD HIBERVM FLVME-
COPIASADDVXITIBIHIBER
NACVLIS SECVNDVM OP
PIDVMQVODCASTRA AE
LIAVOCATVRAEDIFICA
TIS IPSEINCASTRIS MA
NEBAT INTERDIVCON
VENTVM SOCIARVM CI
VITATIVM INOPPIDOA
N
GEBATARMA VT FIERET
PRO COPIISCVIVSQ POPV
LIPERTOTAMPROVINCI
AM E : : IXERATQVIBVS I-
SPECTISREFERRECETERA
ARMAMILITESIVSSITQVAE
AVTITINERIBVS CREBRIS
AVT OPPV

F : : : : AN : : : : : QVAEQ IN OPPVGNAN
: : : : : : : : : : : DIS VRBIBVS HOSTIVM
: : : : : : : : : : : GESSISSETEXPOSVIT ET
: : : : : : : : : : : ADRELIQVABELLICOHOR
: : : : : : : : : : : TATVSESTPAVCIS EDOC
: : : : : : : : : : : TOS QVANTVMHISPANI
: : : : : : : : : : : AEPROVINCIAEINTER
: : : : : : : : : : : ESSET SVAS PARTES SV
: : : : : : : : : : : PERIORES ESSE DIMIS
: : : : : : : : : : : SODEINDE CONVENTV
: : : : : : : : : : : IVSSISQ: EOMNIB
TIONEINITA QV : : DI : : : IBI : : : : : : : : :
CVLO EFFICIPOSSIT : : : : : : : : : : :
ITAQ OMNESSIMVLINSTA : RESVASPRINCIPIOVE
M : : : : : : : : : : : RIS MPERPERNAM
TVRNEQVE MATERIAAR CVM VIGINTI MILIB·
TIFICIBVS PRAEPARATIS PEDITVM EQVITIBVS
ANTE OMNIBVS : : NIXO MILLE QVINGENTIS
CIVITIVM : : : IDIO NEC INILVRCAONVMGEN
SVO QVISQ OPERI ARTI TEM MISITAD TVENDA
FEX DEERAT : : : : : : REGIONIS EIVS MARI
: : : : : : : : : : : TIMAM ORAM DATIS
: : : : : : : : : : : PRAECEPTISQVIBVSITI
: : : : : : : : : : : NERIBVSDVCERETAD
: : : : : : : : : : : DEFENDENDASSOCIAS
: : : : : : : : : : : VRBES QVAS PONPEIV
: : : : : : : : : : : OPPVGNARET QVIB·
: : : : : : : : : : : QVE IPSVM AGMEN
: : : : : : : : : : : PONPEI EX INSIDII
: : : : : : : : : : : ADGREDERETVR

EODEM TEMPORE ET REGIONEM SVB : : : ITV:
AD HERENNVLEIVM : : : : : : : : : : : :
QVI IN ISDEM LOCIS E : : : : : : : : : : :
RAT LITTERAS MISIT : : : : : : : : : : :
ETINALTERAMPROVIN : : : : : : : : : : :
CIAMAD·L·HERTVLEIV: : : : : : : : : : : :
PRAECIPIENS QVEMAD : : : : : : : : : : :
MODVM BELLVM ADMI AGERICVM ABSE OPPVG
NISTRARE/ELLET ANTE NARENTVR CEL: IBER::
OMNIAVTITASOCIASCI VR : : : : : : : ARMIS
VITATESTVERETVRNEA : : : : : : : : : : :
CIECVMMETELLODIMI : : : : : : : : : : :
CARETCVINEQ AVCTORI : : : : : : : : : : :
TATENEQVIRIBVSPARES : : : : : : : : : : :
SET : : : : S : : : : M : : : : : : : : : :
CONSILIVM : : : : : : : : : : : : : : : :
: VERSVM : : : : : : : : : : : : : : : : :
NEQVEINACIEMDESCEN : : : : : : : : : : :
SVRVM EVM CREDEBAT : : : : : : : : : : :
SITRAHERETVR BELLV: : : : : : : : : : : :
HOSTICVMMAREAB TER : : : : : : : : : : :
GOPROVINCIASQ OMNES : : : : : : : : : : :
INPOTESTATEHABERET : : : : : : : : : : :
NAVIBVS VNDIQCOM : : : : : : : : : : :
MEATVS VENTVROSIPSI : : : : : : : : : : :
AVTEMCONSVMPTISPRIo : : : : : : : : : : :
REAESTATEQVAEPRAEPA : : : : : : : : : : :
RATA FVISSENTOMNIV: : : : : : : : : : :
RERVM INOPIAMFORE : : : : AEMV : : : :
PERPERNAMINMARITIMA: : : : : : : : : : :

MARITIMAMNEORAM
VTPONPEIVMABILERCA
ONIA ET CONTESTANIA
ARCEATVTRAQSOCIAGE
TEANADMETELLVMET
RVSITANIAMSECONVER
TAT HAECSECVMAGI
TANS SERTORIVS PRAE
TER HIBERVMAMNEM
R
PERPACATOSAGOSQVIE
TVMEXERCITVM SINE
VLLIVSNOXADVXITPRO
FECTVSINDEINBVRSAO
NVMETCASVANTINORV-
ETGRACCVRITANORVM
FINESEVASTATISOMNIB.
PROCVLCATISQVESEGITI
BVS AD CALAGVRIMNA
SICAM SOCIORVM VRBE-
BENIT TRANSGRESSVS
QAMNEM PROPINQVM
VRBIPONTEFACTOCASTRA
POSVIT POSTERODIE M
MASIVM QVAESTOREM
INARVACOSETCERINDO
NES MISITAD CONSCRI
BENDOSEXIISGENTIBV
MILITES FRVMENTVM
QVEINDECONTREBIAM
: : : ELEVCADAAPPELLA

TVRCONPORTANDVMPRAE
TERQVAM VRBEMOPPOR
TVNISSIMVS EX BERO
NIBVSTRANSITVSERAT
INQVAMCVMQVE REGIO
NEMDVCEREEXERCITV-
STATVISSETET·C· INSTE
LVMPRAEFECTVMEQVI
TVM SEGOVIAM ET IN
VACREORVM GENTEM
AD EQVITVM CONQVI
SITIONEMMISIT IVSSV-
CVMEQVITIBVSCONTRE
BIAE SESEOPPERIRIDI
MISSISIIS IPSEPROFEC
TVS PER VMCONVM A
GRVMDVCTO EXERCI
TVINCONFINIO VIRO
NVMPOSVITCASTRAPOS
TERODIECVMEQVITIB·
PRAEGRESSVS ADITINE
RAEXPLORANDAIVSSO
PEDITEQVADRATOAGMI
NE SEQVI AD VAREIAM
VALIDISSIMAMREGIO
NISEIVSVRBEMVENIT
HAVD INOPINANTIB·
: : : : ADVENERAT
VNDIQ·EQVITIBVSET
SVAEGENTISETAVTRIC

IDEM FRAGMENTVM LITTERARUM, *et interpunctionum notis, quales nunc in communi consuetudine sunt, quam diligentissime expressum ac distinctum.*

Titi Livii Liber XCI.

Tamen insequenti ipso pervigilante eodem loco alia excitata turris prima luce miraculo hostibus fuit, simul et oppidi turris, quae maximum propugnaculum fuerat, subrutis fundamentis, dehiscere ingentibus rimis, et tu ..... ius ..... um igni coepit: incendiique simul, et ruinae metu territi Contrebienses de muro trepidi effugerunt, et ut legati mitterentur ad dedendam urbem, ab universa multitudine conclamatum est. Eadem virtus, quae inritantes oppugnaverat, victorem placabiliorem fecit. Obsidibus acceptis pecuniae modicam exegit summam, armaque omnia ademit; transfugas liberos vivos ad se adduci jussit, et fugitivos, quorum major multitudo erat. ipsis imperavit, ut interficerent. jugulatos de muro dejecerunt.

Cum magna jactura militum quattuor et quadraginta diebus Contrebia expugnata, relictoque ibi L. Instejo . . . . . ad hiberum flumen copias adduxit. Ibi hibernaculis secundum oppidum, quod Castra AElia vocatur, aedificatis, ipse in castris manebat, interdiu conventum sociarum civitatium in oppido agebat. Arma ut fierent pro copiis cujusque populi per totam provinciam edixerat, quibus inspectis referre cetera arma milites jussit, quae aut itineribus crebris, aut oppu . . . . . f . . . . . an . . . . . .

. . . . . .

. . . . . .

. . . . . .

. . . . . .

. . . . . .

. . . . . .

. . . . . .

. . . . . .

tione inita qu . . di . . culo effici possit.

Itaque omnes simul inita . . m . . . . . tur, neque materia artificibus praeparatis ante omnibus . nixo civitium . . idio, nec suo quisque operi artifex deerat . . .

. . . . . .
. . . . . .
. . . . . .
. . . . . .
. . . . . .
. . . . . .
. . . . . .

. quaeque in oppugnandis urbibus hostium gessisset exposuit, et ad reliqua belli cohortatus est paucis edoctos, quantum hispaniae provinciae interesset suas partes superiores esse. Dimisso deinde conventu, justisque omnibus ibi . . . . . .
. . . . . .
re suas principio veris M. Perpernam cum viginti milibus peditum, equitibus mille quingentis in Ilurcaonum gentem misit ad tuendam regionis ejus maritimam oram, datis praeceptis, quibus itineribus duceret ad defendendas socias urbes, quas Ponpejus oppugnaret, quibusque ipsum agmen Ponpei ex insidiis adgrederetur.

Eodem tempore et ad Herennulejum, qui in isdem locis erat, litteras misit, et in alteram provinciam ad L. Hertulejum, praecipiens, quemadmodum bellum administrare

nistrare vellet: ante omnia ut ita socias civitates tueretur, ne acie cum Metello dimicaret, cui neque auctoritate, neque viribus par esset ..... s ..... m consilium ..... versum ..... neque in aciem descensurum eum credebat, si traheretur bellum. hosti cum mare ab tergo, provinciasque omnes in potestate haberet, navibus undique commeatus venturos; ipsi autem, consumptis priore aestate quae praeparata fuissent, omnium rerum inopiam fore.

Perpernam in maritimam regionem sub ..... itum .....
.....
.....
.....
.....
a geri cum ab se oppugnarentur Celtiberi ur ..... armis .....
.....
.....
.....
.....
.....
.....
...

. . . . . .
. . . . . .
. . . . . .
. . . . . .
. . . . . .
. . . . . .
. . . . . aemu . . . . . maritimamne oram, ut Ponpejum ab Ilercaonia et Conteſtania arceat, utraque ſocia gente, an ad Metellum, et Ruſitaniam ſe convertat. Haec ſe cum agitans Sertorius praeter hiberum amnem per pacatos agros quietum exercitum ſine ullius noxa duxit. Profectus inde in Burſaonum et Caſuantinorum et Graccuritanorum fines, evaſtatis omnibus, proculcatisque ſegitibus, ad Calagurim Naſicam ſociorum urbem benit; transgreſſusque amnem propinqum urbi, ponte facto, caſtra poſuit. Poſtero die M. Maſium quaeſtorem in Arvacos et Cerindones miſit ad conſcribendos ex iis gentibus milites, frumentumque inde Contrebiam, quae Leucada appellatur conportandum, praeter quam urbem opportuniſſimus ex Beronibus tranſitus erat in quamcumque regionem ducere exercitum ſtatuiſſet;

set; et C. Instelum praefectum equitum Segoviam, et in Vacreorum gentem ad equitum conquisitionem misit, jussum cum equitibus Contrebiae sese opperiri. Dimissis iis ipse profectus per Vmconum agrum ducto exercitu, in confinio Vironum posuit castra. Postero die cum equitibus praegressus ad itinera exploranda, iusso pedite quadrato agmine sequi, ad Varejam validissimam regionis ejus urbem venit. Haud inopinantibus ..... advenerat, undique equitibus et suae gentis, et Autric .....

Explicitum est Livii fragmentum feliciter.

LOCA

LOCA EX FRAGMENTO, QVAE partim ex certa, partim ex probabili conjectura aliter legenda esse videntur, quam in eo scripta sunt.

pag. 20 *et* 24. Civitium.	Civitatium, *vel* Civium.
pag. 20 *et* 25. Ilurcaonum.	Ilercaonum.
pag. 21 *et* 25. Ad L. Hertulejum.	Ad L. Hirtulejum.
Bellum administrare vellet.	Administrari, *vel* administrare ipsum vellet.
pag. 22 *et* 27. Rusitaniam.	Lusitaniam.
pag. 22. *et* 27. Et Casuantinorum.	Et Cascantinorum.
Vrbem benit.	Vrbem venit.
In Arvacos.	In Arevacos.
pag. 22 *et* 28. C. Instelum.	C. Instejum.

In

In Vacreorum gentem.	Vacaeorum, *vel* Vaccaeorum.
Vmconum agrum	Vasconum agrum.
In confinio Vironum.	In confinio Beronum.

VITI M. GIOVENAZZII

IN TITI LIVI FRAGMENTVM ANEKΔOTON SCHOLIA.

FRANCISCVS CANCELLERIVS LECTORIBVS.

Ne charta hoc loco vacaret, visum est epitomen Livianam libri XCI apponere, et praeterea libri XC particulam, qua initium belli Sertoriani continetur, utramque, ni fallor, nonnullius usus Fragmentum legentibus futuram.

Epitomes Livianae Lib. XC. *Particula de Bello Sertoriano.*

Q. Sertorius proscriptus in ulteriore Hispania ingens bellum excitavit. L. Manlius proconsul, et M. Domitius legatus ab Herculejo quaestore proelio victi sunt.

Libri XCI. *Epitome.*

Cn. Pompejus quum adhuc equester esset, cum imperio consulari adversus Sertorium missus est. Sertorius aliquot urbes expugnavit, plurimasque civitates in potestatem suam redegit. Appius Claudius proconsul Thracas pluribus proeliis vicit. Q. Metellus proconsul L. Herculejum quaestorem Sertorii omni, cum exercitu cecidit.

VITI MARIAE GIOVENAZZII
IN TITI LIVI
FRAGMENTVM
ΑΝΕΚΔΟΤΟΝ
SCHOLIA.

TITI) ὁλογραμμάτως, ut praenomen MARCVS apud Fabrettum capite IV, n. 450. MARCO. AVRELIO. AVGG. LIB. et n. 528. MARCVS. MALLIVS. M. F. quorum lapidum alter ad Antoninorum, alter ad remotiora reip. tempora referendus est. Ac Fabrettum, quo loco de ratione notandorum, aut perscribendorum praenominum agit, horum suorum lapidum non meminisse, neque quidquam de huius praenominis scriptura contra Sigonii, aliorumque ἀρχαιολόγων praescripta statuere, sane miror. Apud marmorarium quoque de via Iulia vetus monumentum legi hujusmodi:

D. M
AVR. ALBANAE
CONIVGI. B M
INCOMPARABILEI. QVAE
VIXIT. ANNIS. XXIII. MENS
II. D. XIIII. MARCVS. AVRELIVS
MAXIMVS. MARI
TVS. FECIT

Vbi pariter praenomen MARCVS perscriptum est, cum contra feminae nomen, quod ipsum ne

ab illorum quidem temporum consuetudine abhorret, primoribus tantum litteris significatum sit. Adde AVLVM, LVCIVM, PVBLIVM, SEXTVM, ac si quaeris, TITVM etiam in ejusdem Fabretti συναγωγῇ cap. 1, n. 141, et apud me in lucubratione de VRBE AVEIA pag. LXI, quam postremam inscriptionem, quantum ex litterarum conformatione elegantiaque conjicere licebat, nec enim semel eam Amiterni, nec incuriose memini inspicere, facile adducebar, ut ipsius Augusti principatu positam existimarem. Quorsum haec de notis praenominum, inquies, tam longe repetita disputatio? Videlicet ne quis forte sit, cui mirum videatur, TITI praenomen in his membranis perscriptum fuisse, eaque de caussa retrahendas eas ad multo, quam cujus re ipsa sunt, videntur quidem certe, recentiorem aetatem putet. Vt enim hoc obiter nunc dicatur, Antoninorum eas temporibus, aut, quam seriissimum id fuerit, iis, quae Constantini M. principatum proxime anteceserunt, scriptas opinor fuisse; quam opinionem cur sequar, caussae multae sunt, cur abjiciam, adhuc nulla. Sed obiter haec modo, ut dixi: proprium enim locum desiderant, nec ita paucis verbis absolvi possunt, nec multis nunc vacat. Itaque pluribus infra fortasse, si per tempus licebit; sin minus, haec omnis tractatio in praesens quidem omittetur, aut certe in aliud tempus differetur. Tantum si qua deinceps αὐτοσχεδιάζοντι, (ut necesse nunc quidem est), occurrent, ex quibus doctorum virorum

rorum inveterato jamdiu praejudicio, aliter de toto hoc genere constituendum esse videatur, ea satis habebo ostendere, non modo in quam dixi aetatem, sed in superiores etiam veterum lapidum, et scriptorum testimonio convenire. Haec igitur ad hunc modum; deinde qui multorum saepe fidem requirere, multorum studium atque industriam in his vetustatis reliquiis describendis, atque edendis consuevi, non committam, ut mihi ipse aliquando, exolescente, ut fit, in dies harum rerum memoria, aut aliis, in quorum haec manus pervenient, accusandi mei causam dem. Itaque visum est ea pariter non praetermittere, quae τῆς αὐτοψίας loco esse possint, quaeque si ab apographo exspectes, quamlibet alioqui magna cura, ac diligentia expresso, quanta hoc certe est, frustra exspectes; qua in re velut periti ratiocinatoris vitiorum, quae in scripto insederunt, partibus fungar, ut quae in eo peccata a quoque sint, sive is antiquior, seu recentior librarius fuerit, sive operae, quae Livianas schedas ad novam libelli molem aptarunt, sive ipsarum denique schedarum longaevitas, sua quibusque accepta referam; sequutus hac parte amplissimorum virorum auctoritatem, magnam quidem apud me, et in primis gravem, Ioh. Cajetani Bottarii, et Petri Franciſci Fogginii, qui in Vergilii exemplaribus Vaticano, ac Mediceo suis hujus generis maxima minima persequenda sibi esse censuerunt. Quid ita? Quod non ignorabant scilicet, experiundo etiam, vt opinor, (quod

eorum semper fuit cum his musis assiduum, multiplexque commercium), didicerant, quantum emolumenti ex tantularum rerum accurata diligentia in litteras, atque in totum hoc genus redundare soleat, quantum rursus ex negligentia detrimenti. Denique si qua erunt, vel potius quaecumque erunt, quae sive ad scriptum illustrandum, sive ad pretium eidem constituendum pertinere, seu qua alia de caussa adnotatione non indigna videbuntur, de iis non praetermittam, quin quae in solum, ut dicitur. Sed de adnotationum modo satis. Nunc quod instat.

LIB. XCI.) Debuisset: DECADIS X. LIB. I, si jam tum *fastidiosa legentium ignavia*, ut Petrarchae verbis loquar, *hos libros in decadas scindere consuevisset;* quod non incuriose praetereundum est addendumque, ad quae de inscriptione librorum Livii initio suarum in optimum historicum adnotationum disputat Sigonius, et cum eo alii.

INSEQVENTI IPSO) Apparet praecessisse NOCTE, sive hoc auferendi, seu quo alio casu. IPSO autem, quod sequitur, ad Sertorium refero, ut ex sequentibus manifestum est. Iam quae deinceps de viro *summae quidem*, quod ejus verissimum apud Florum exstat elogium, *sed calamitosae virtutis* leguntur, absque hoc fragmento esset, aeque cum iis, qui patrum ac majorum nostrorum memoria hoc Livii libro caruerunt, ignoraremus: altum enim de iis omnibus, quantum equidem legi, aut meminerim, in ceterorum historicorum scriptis, quae vulgo hodieque manibus teruntur, silentium.

DEHIS-

DEHISCERE) Quoties huc revertebamur, nam locus mire lacer, detritus, ac corruptus est, toties hae ferme litterae apparebant: DIPSDSCEND; sed postquam sequentia legimus, non diu in hoc quoque verbo revocando laborandum fuit. Quorsum tamen nunc haec? Itaque statui deinceps de reliquis ejusdemmodi ne verbum quidem.

RIMIS ETTV..) Qui sequebatur versus ὄρχεσται. Ferme autem ad hunc locum pari ab extremis membranis intervallo in sequentibus paginis lacunae apparebunt; cujus rei ea causa est, quod ex singulis Livii paginis binae novi libri paginae factae sunt, quae iccirco plicari hac ipsa parte, consui, ac glutinari inter se debuerunt. inde quas dixi labes.

MODICA) Fortasse Λ̃, quam notam utrum librarius praetermiserit, an vetustas ab oculis removerit, non queo statuere. alterutrum quidem certe potuit. infra enim manifesto TVENDA pro TVENDAM. vide locum.

CONTEBRIA) Addita R littera supra T et E, tum alteri post B punctum superne notatum est, ut fieret CONTREBIA. *Quis* autem *nescit, punctum inferius, vel superius appositum litteris in antiquis codicibus, eas expungere?* Quae verba sunt optimi, atque doctissimi senis Ioh. Cajetani Bottarii in *Notis et Emendationibus* ad vetustissimum exemplar Vaticani Vergilii ab eo editum. De R superaddita exempla quoque in veteribus libris passim occurrunt, et videri potest Gellius lib. II.

cap. 3, ubi ad eumdem modum de voce *Aena* in libro Aeneidos II, mirandae vetuſtatis, quem Fidus Optatus ipſius Vergilii fuiſſe credebat, illo verſu: *Exſultat telis, et luce coruſcus aena, Additam,* inquit, *ſupra vidimus H litteram, et Ahena factum.*

.L. INSTEIO) Sic notas praenominum ſolet, puncto ad utrumque earum latus adſcripto, quod valde notandum eſt: nec enim alibi hujus moris exempla, nec in ſcriptis libris, nec in veteribus lapidum, aut aeris tabulis obſervare memini. Tantum graeci nunc epigrammatis in mentem venit in marmore ſcalpti, quod marmor exſtare ajunt Neapoli, in quo ſubdita in voce Εὐνοίας vocalis, cum ab antecedente et ſubſequente ſejungenda eſſet ad verſum ſuſtentandum, duobus pariter punctis incluſa eſt, hoc modo: EYNO. I.HC. Afferam autem integrum ipſum epigramma, quale jam ab aliis editum eſt:

CHMAΦIAEINΩTOTTOΦIAΩAEIMENΘEPAΠONTI

IΠΠOKPATHCΠACHCEINEKENETTNO.I.HC.

Quod iccirco adſcripſi, ut intelligatur, quantulae res quantam viris ingenio, et eruditione praeſtantibus moleſtiam, et difficultatem ſaepenumero objiciant. Ecce enim alius in priore verſu ΔEI ſcalptum pro ΔE fuiſſe ſuſpicatus eſt; alius pro ΔH malebat; denique tertius exſtitit, qui ipſum ΔEI retinuit, atque ex Heſychio πρέπει interpretatus eſt. Ita quod in epigrammate ſcriptum nuſquam erat, omnes viderunt, quod ſcriptum erat, ſuaque veluti ſponte ſeſe in oculos ingerebat, non viderunt. Quanti enim, quaeſo, acuminis

minis fuisset Δεῖμεν ὑφὲν ἀντὶ τῦ ἔδειμεν ἰωνικῶς positum agnoscere? Haec jam scripseram, cum venit ad me visendi caussa, ut solet, adolescens nobilissimus, et Gaspare patre, quem ego virum ob singularem quamdam doctrinae, ac virtutis praestantiam semper maximi feci, dignissimus, Aloisius de Torres, qui epigrammate perlecto: est enim cum multis liberalibus studiis, atque artibus supra communem eius aetatis captum praeditus, tum latinis, graecisque litteris insigniter eruditus, hanc quidem meam lectionem probavit, sed interim petiit, ut tentarem eosdem versus latine reddere, quod petenti qui potui non concedere? Itaque non belle quidem, sed tamen ut res possit intelligi, sic converti:

Hippocrates dulci posuit monumenta Phileno
Servo haec omnigenae pignus amicitiae.

Idem quia dixerat antea, dubitare se, an duo illa ΔΕΙ MEN juncta in marmore legerentur, an potius aliquid spatii inter utrumque μόριον intercederet majus, quam in eiusdem dictionis syllabis aut litteris solet, eamque sibi videri doctis viris halucinandi caussam fuisse, egoque contra graecas inscriptiones antiquiores continenti notarum serie, nullis verborum aut syllabarum interordiniis exarari consueviss̀e, objeceram, protuleramque in eam rem, quod tum primum in manus venit, alterum epigramma, quod scalptum vidi Romae tribus quattuorve ante annis supra τῦ humani σχελέτυ figuram, in quo continuate, quod contendebam, scalptae litterae visebantur,

ille ut hoc pariter epigramma, quod satis elegans, ac festivum esset, huic scholio adjungerem, et in latinum sermonem item ut superius converterem, magnopere mihi auctor fuit; cui etsi videbar, si morem gererem, longius quam par erat, progressurus; tamen quod non inutiliter, nec nulla eorum, qui lecturi essent, voluptate ab instituto divertebam, non invitus feci, ut obtemperarem. Graecum igitur epigramma tale est:



Quod sic converti potest:

Quis potis, adspiciens nudato jam osse cadaver,
Therſites, an Hylas fuerim, dixisse, viator?

Et brevius, ut multo ante verteram:

Quis ossëam, viator, intuens formam,
Hylasne fuerim, dicat, anne Therſites?

Ossëam formam dixit Ovidius, ut opinor, in Ibin, et *Cadaver osse nudato* pro eodem commode accipi posse sum arbitratus: etsi utrumque a graecae

cae locutionis vi, et venustate quam longissime abest. Σκήνος autem praeter scriptores, quos affert doctissimus Laelius Bisciola in suis *Horis subsecivis*, offendi hac ipsa significatione in Democrate *gnome* 1 *et* 2, Ocello Lucano in *Fragmento de legibus*, Timaeo Locro, aliisque pythagoreis scriptoribus.

CASTRA AELIA) Cujus oppidi nusquam, quod equidem sciam, non modo apud geographos, sed ne in aliorum quidem veterum, aut recentium scriptorum monumentis mentio fit. Θέσις ex his, quae narrat Livius, dextra hiberi ripa. Hoc amplius autem, si conjecturis dandus aliquis locus est, qua Celtiberi Hedetanos attingebant, et utrique amnem, non longe a Salduba, seu Caesarauguſta: ut qua in urbe annis post propter ejus frequentiam, vel loci, quod veri mihi similius videtur, opportunitatem juridicus conventus constitutus est, qui idem omnium, in quos hispania citerior, Baetica etiam ac Lusitania, (si recte rationes subduxi), dividebantur, amplissimus fuit, prope eamdem urbem prudentissimus imperator hac eadem opportunitate loci usus conventus suos sibi agendos statuerit. Adde, eumdem inter Ilercaonum et Vasconum regionem castrametatum fuisse, ut et ab maritima quidem ora abesset, et antequam educto ex hibernis milite ad Calagurim veniret, per complurium urbium agros praeter hiberum amnem iter facere necesse habuerit. Sed haec hispani doctiores viderint. Tantum addam, Contrebiam, ex

qua Sertorius castra movit, vltra hiberum fuisse sitam, notius esse, quam ut pluribus a me dici necesse sit.

REFERRE CETERA) Haec non de industria quaesita, sed ultro sub acumen stili subeuntia cur praeteream? Itaque excidit hic imprudenti integer choliambus, isque, quod magis miraberis, constans ex puris iambis, praeterquam quo necessario, ut fiat claudus, recipi debet spondaeus. Sic infra: AGROS QVIETVM EXERCITVM SINE VLLIVS, ubi idem genus vides. Supra quoque ex illis verbis: HISPANIAE PROVINCIAE INTERESSET trimeter catalecticus efficitur, isque bene numerosus ac concinnus. Atque adnotaverat jam ante Quinctilianus lib. IX, cap. IV, Livium ab hexametri exordio historiarum suarum libros fuisse exorsum: *Facturus ne operae pretium sim.* Quid si huc spectans hoc fragmentum legisset? Nam ut mittam anapaesticos, ac trochaicos, trimetros quoque iambicos atque quadratos, quos bene multos ex tam brevi scripto possem eligere, sane adnotavi in eo iambicos dimetros ad viginti, et eo amplius, plerosque liberioribus numeris susos, quales comicorum solent, at quosdam valde etiam probos ac sonoros, ut curam posses agnoscere. Sed et initio statim fragmenti quod scribitur: TAMEN INSEQVENTI IPSO PERVIGILANTE EODEM, si postrema in INSEQVENTI vocalis a subsequente non absorbeatur, habebitur integra strophe constans ex dimetro catalectico,

quem

quem ſtatim excipiet choriambicus, eritque ſimilis illi: *Boryſthenes Alanus Caeſareus veredus.* Quod ſi praeterea vocem LOCO, quae ſtatim conſequitur, exteras, recurret novus dimeter iambibus: ALIA EXCITATA TVRRIS. Sed deſino λεπτολογεῖν. Tantum in Hadriani his, quos proxime citavi, verſibus adnotabo, duos in medio male tranſpoſitos legi: *Vel extimam ſaliva ſparſit ab ore caudam*, cum qui prior ordine verſus eſt poſteriore loco collocandus ſit; quod Salmaſium, Caſaubonum, alioſque, qui illud poemation ediderunt, non vidiſſe, quis non miretur? Nam quod locus paullo ſuperior ex tabulae archetypae fragmento, (quod in agro aptenſi effoſſum narrat Gaſſendus in Vita Peireskii), expectandum erat, ut reſtitueretur, id nemini quidem mirandum eſt.

::: TIONE INITA) An RATIONE INITA, ut lib. XXIX. *Vix ratio iniri poteſt, uter caſus civitatis ſit deteſtabilior;* et alibi: *Inita tandem ratio eſt?* Ceterum locus ita foede corruptus, depravatusque vetuſtate eſt, litterarum veſtigiis magnam partem detritis, aut penitus amiſſis, ut potius quod unum, atque alterum fugitivum verbum revocaverimus, boni conſulendum ſit, quam, quod retrahere cetera nequiverimus, reprehendendum.

::NIXO CIVITIVM) Fortaſſe: ENIXO CIVITATIVM, vel CIVIVM STVDIO. Sed malui haec, ut ſcripta eſſe videbantur, cum fide proponere, quam quidquam, quod exploratum, per

ſpectum-

ſpectumque mihi quidem haud eſſet, profectum a Livio fuiſſe, in ejus ordinem verborum recipere. Quod ipſum tamen, quid enim diſſimulem? de duobus ENIXO ac STVDIO intelligi volo: nam ad CIVITIVM quod attinet, cum omnibus veſtigiis indagare ejus verbi lectionem ſtuduerimus, nulla nobis quidem relinqui videbatur dubitatio, quin ad hunc plane modum antiquitus ſcriptum legeretur.

M PERPERNAM) Opinor, ſolens more ſuo fecerat deſcriptor, ut in Perpernae praenomine ſignificando duobus punctis ejus praenominis notam includeret, quae tamen amplius nunc in ſcripto non comparent. Puſilla res, dices. Quippe. Verumtamen cur tam puſilla in re aut ſcribae conſtantiam, aut noſtram diligentiam deſiderari paterer?

ILVRCAONVM) Videndum, an rectius ILERCAONVM, aut ILERGAONVM, ut ſaepe harum duarum litterarum C et G ob propinquam ſoni, ac formae ſimilitudinem altera in alteram tranſit. Paullo poſt enim idem Livius: ILERCAONIA; et conſtat, eamdem regionem, ſeu gentem utrobique ab eo ſignificari. Ptolemaeus quoque lib. II. Ἱλερκάονες et Ἱλερκάονων dixit; et Plinius lib. III, cap. 3. *Regio Ilergaonum.* Tamen idem Livius libro XXII. alio inclinatu: *Caſtra punica*, inquit, *in agro Ilercaonenſium*; pro quo pariter non dubitarem *Ilercaonum* reponere, niſi exemplarium emendatiorum Caeſaris *De Bello Civili* obſtaret auctoritas: in his enim lib. I, cap.

cap. 60. aperte *Illurgavonenſes: Paucis poſt diebus Illurgavonenſes, qui flumen iberum attingunt.* Sed aliud Caeſarem, aliud Livium in hoc nomine derivando ſequi potuiſſe, cuivis opinor, credibile ſit. Livium autem, qui non annales, aut adverſaria conſcribebat, ſed juſtum, abſolutumque hiſtoriae corpus aequabili, tractoque, atque, ut ita dicam, unicolore dicendi genere conficiebat, aliud alibi ſequutum fuiſſe, aliterque unum, idemque gentis nomen alio loco extuliſſe, cui, quaeſo, erit credibile?

AD TVENDA) Pro TVENDAM, quod ita librarium reliquiſſe, tam mihi certum eſt, quam meridie, ut ajunt, lucere. Suſpicor autem, quia animadvertebat, ſi litteram M, aut notam, qua ejus vicem uti ſolet, adſcripſiſſet, verſum paullo longius excurſurum fuiſſe, quam reliquorum verſuum modus, et ſcripti concinnitas pateretur, ideo neutram appoſuiſſe, cum ceteroqui locus utri libuiſſet notandae non deeſſet. Ceterum ad hoc genus quod attinet illud tenendum eſt, librarium cum abundantes in verſu litterae in ſequentem verſum transferendae ſunt, grammaticorum de verbis, ac ſyllabis dividendis praeſcripta non magni pendere. Tantum ſi contingat, poſtremam verbi litteram ad verſus menſuram abundare, eam aut vicaria nota ſignificat, quod facit cum M et N; aut ad praecedentem annectit, ut SIMV_, GENTIBV, et TRANſ; aut denique prorſus praeterit, ut hic in TVENDA; certe non transfert.

PON-

PONPEIV) Attonsa est S littera ab iis, qui paginas novi libri abraserunt, ut et post duos versus in verbo INSIDIIS. Iam PONPEIVS hic, et in sequentibus, contra quam veritas patiebatur, per N, non per M scriptum est; quod ipsum tamen non caret exemplo antiquitatis: ita enim PONPONIVS in veteri titulo nondum edito, quem vidi, et descripsi in agro Salernitano ad tertium extra urbem miliare via ebolitana:

D. M.
P. IVNIO. AVITO
PONPON. SATVRNINA
MARITO. KARISSIMO
ITEM. PARENTES. FILIO
DVLCISSIMO. ERGA. SE
AC. PIENTISSIMO
BENEMERENTI. FEC
VIX. ANN. XXIII
M. VII. D. XXVIIII

Vbi duo verba ERGA SE errore, ut arbitror, scalptoris factum est, ut alieno loco ponerentur: nam quia sequens vox in easdem litteras exit, quae sunt in DVLCISSIMO, scalptor hac voce perscripta, aberrante forte oculo vidit et exscripsit, quod post PIENTISSIMO sequebatur; quod deinde emendare aut neglexit, aut religione prohibitus, (ut in plerisque rebus, atque in iis praesertim, quae ad jura manium pertinerent aliquando infirmiorem fuisse Romuli illam faecem, notum est), noluit. Adde INPENSA, INPERATOR, INPERIOSSVS, INPROBVS, INPORTV-

PORTVNVS, aliaque ad hunc modum, quae passim in veteribus marmoribus obvia sunt.

HERENNVLEIVM) Quem eum ipsum opinor fuisse. Opinor autem? Imo is ipse certe est, quem Plutarchus in Pompejo Ἑρέννιον vocat: Ἑρέννιον δὲ, καὶ Περπέννην ἄνδρας ἡγεμονικῆς τῶν πρὸς Σερτώριον καταπεφευγότων, καὶ στρατηγάντων ἐκείνῳ νικήσας περὶ Οὐαλεντίαν ὑπὲρ μυρίας ἀπέκτεινεν. Ita exemplar elegantissimum, idemque omnium recentissimum Londinense anni MDCCXXIX. Sic autem ibidem vertitur: *At Herennium et Perpennam viros militares, qui ad Sertorium confugerant, hujusque legatos fudit circa Valentiam, occidit amplius decem milia militum.* Sed quis tam ἀσύστατα, καὶ συγκεχυμένα intelligat? Quod si cetera ad hunc modum interpretati sunt, nae isti praeclari interpretes non modo alienis, quod voluerunt, verbis, sed cogitatis etiam, quod omnino non debuerunt, Plutarchum nobis loquentem induxerunt. Sed desino interpretationis absurditatem exagitare; cuius caussa haud scio, an in Plutarchi graecam orationem ex parte conferenda sit. Nam ut mittam duo gentilia Ἑρέννιον et Περπέννην, quorum alteri ex his Livii membranis, alteri ex his aliisque monumentis medicina facienda est, sane pro eo, quod legimus στρατηγάντων, vereor, ut a Plutarcho fuerit στρατευόντων: ut quod supra τῶν καταπεφευγότων ponitur, is non sit genitivus, ut grammatici loquuntur, partitionis, nec ἐλλειπτικῶς ab ἐκ, ἀπὸ, aut quo simili μορίῳ, sed ab appositο ἄνδρας ἡγεμονικῆς regatur. Itaque sic

ſic locus meo quidem animo vertendus erat. *Sed cum Herennulejum, et Perpennam duces eorum, qui ad Sertorium confugerant, et pro eo militabant, circa urbem Valentiam debellaſſet, amplius decem milia interfecit.* Reſtituendum etiam hoc nomen Salluſtio in epiſtola ipſius Pompeii: *Dux hoſtium C. Herennius cum urbe Valentia, et exercitu deleti.* Vbi vides utrobique diſerte Valentiam nominari; haec autem in Hedetanis ſita erat, atque adeo in ſucronenſi ſinu, cuius citerius latus Ilercaones, ulterius Conteſtani obtinebant, in quibus ipſis locis Herennulejus tum verſabatur, ut ex hoc fragmenti loco, exque illis ejuſdem verbis: VT PONPEIVM AB ILERCAONIA ET CONTESTANIA ARCEAT perſpicue conſtat. Iam vero cur ex harum membranarum ſcriptura emendanda Salluſtii, et Plutarchi loca, non contra illam ex his cenſeam, facit illarum in primis longaevitas, cui quantum prae ceteris ſcriptis, et impreſſis codicibus tribuendum ſit, quis non videt? tum quod cur *Herennius* in quorumdam libris legatur, non difficulter, ſi opus ſit, dicere cauſſam poſſumus; cur in his ſchedis *Herennulejus*, niſi quod librarius ita ſcriptum in vetuſtioribus libris offenderit, quam aliam dicere poſſumus? Denique oſtendant, ſi qui contra ſentient, tantae vetuſtatis, tantaeque auctoritatis, quantae haec Livii ſunt, Salluſtii, aut Plutarchi exemplaria, in quibus *Herennius* legatur, tum quod volent, efficient. Herennulejae autem gentis neſcio, an ulla; cum contra Herenniae plurima in

cuiuſque-

cujuſquemodi generis ſcriptis mentio fiat. Tamen ejus quoque cum complura marmora meminerunt, tum hoc ἀνέκδοτον, quod commodum ante hos paucos menſes ab ſe accurate deſcriptum Reate mecum communicavit ſumma juvenis nobilitate, moribus humaniſſimis, ingenio ad maxima quaeque nato, Alexius Horatii Fil. Falconerius, cui per veſtigia gentilis ſui Octavii in hoc liberalium artium atque eruditionis ſtadio pleno gradu ad praemia, quae excellentiſſimae virtuti propoſita ſunt, contendenti aequum eſt, omnes, quicumque virtutem ipſam amamus, bene cupere, atque ominari. Inſcriptionis exemplar ejuſmodi eſt:

A. HERENNVLEIVS
CESTVS. NEGOTIATOR
VINARIVS. A. SEPTEM
CAESARIBVS. IDEM. MERCAT(R)
OMNIS. GENERIS. MERCIVM
TRANSMARINARVM. LICTOR
VIVOS. SIBI. FECIT. ET. LIBERTIS
LIBERTABVSQVE. SVIS
POSTERISQ. EORVM.

IN ISDEM LOCIS) Cicero in Oratore de Ennio: *In templis iſdem probavit, at Eiſdem erat verius, nec tamen Eiſdem optimius; male ſonabat Iiſdem; impetratum eſt a conſuetudine, ut peccare ſuavitatis cauſſa liceret.* Chariſius quoque lib. I, *Is homo*, inquit, *Idem compoſitum facit, niſi quia Caeſar lib.* II. *ſingulariter Idem, pluraliter Iidem dicendum affirmat; ſed conſuetudo hoc non ſervat.* Adde

Prisicianum lib. VII. et ex poetis Tibullum ad Messallam: *Incipe: non idem tibi sunt*, et Ovidium: *Isdem sub dominis;* ut Comicos interim, et vetustos titulos mittam, ad quos alteros dum Lipsius provocat, vereor ut satis considerate, circumspecteque faciat: in his enim (de elegantioribus loquor, quosque ipse in urbe, aut alibi viderim,) I productius scalptum est, quod valet EI, aut duplex II: ut in titulo arcus ad Montem Coelium, qui etiamnum superstes legitur: IDEMQVE PROBAVERVNT. Iam ex his, quae hactenus adscripsimus, satis intelligitur, jam tum antiquiorum latinorum consuetudine receptum fuisse, ut hoc pronomen per unum I vulgo efferrent, quodque consequens hinc est, scriberent etiam, si minus omnes, at ii certe, qui ita scribendum quodque verbum censebant, quomodo sonabat, *audituque*, ut Velius loquitur, *emetiebantur scriptionem.* Haec vulgaria, ac si vis, inepta et sputatilica, fateor; sed ignoravit tamen Zirardinius Ravennas jurisconsultus ad Novellas Theodosii Iun. et Valentiniani III. leges pag. LXXII, quo loco ad inscriptionem ID. AA, hoc est *Idem Augusti*, haec adnotat: *Rectius utique scriptum, aut usitatius fuisset Iidem.* Quod utrumque universe falsum est. Nec si Cicero peccatum in ea re suavitatis caussa, sed peccatum tamen fatetur, id viro docto quidquam adstipulatur; qui quidem Cicero de ejus pronominis appellatione, non scribendi ratione locutus est. Sed haec non tam Zirardinio, quem facio equidem, ut debeo, plurimi,

rimi, dicta volo, quam istis, qui quanti sunt, toti ex ejus commentariis sunt, plusque ex ejus unius jecore, quam ex suo sapiunt, quique vix dubito, quin una hujus pronominis scriptura animadversa satis magnum nacti esse campum viderentur, in quo excurrere, ac debacchari contra harum schedarum aetatem eorum posset oratio. Quidni? qui rumores etiam, his nondum lectis, ac ne visis quidem, tota urbe distulerunt, facinora in civitate fieri capitalia, Livio foetus supponi, adsui ejus purpurae viles lacinias? Sed haec alias fortasse; nunc mittamus rabulas, aut, si placet, rideamus et contemnamus.

ALTERAM PROVINCIAM) Vlteriorem accipio, cum ipse ex citeriore litteras mitteret: erat enim etiam tum in hibernis ad Castra Aelia. Sed haec res paullo diligentius constituenda et constabilienda est: facem enim praeferet ad quae mox de altero hujus fragmenti loco dicemus, ubi foedum librarii erratum ex hujus ipsius loci contentione et auctoritate emendabitur. Ac fines, quibus Tarraconensis provincia a duabus, Baetica ac Lusitania, dividebatur, Plinius libro III. cap. 1. hos statuit, Solorium montem, Oretanorum, Carpetanorum et Asturum juga; quos fines eosdem fere Sertorianis temporibus fuisse, nec valde in iis ab Augusto, aliisque Principibus fuisse variatum, declarat in primis Livius lib. XL, ubi res gestas centum circiter ante Sertorianum bellum annis a Q. Flacco Praetore persequitur, ac Celtiberos et Carpeta-

nos Hiſpaniae citeriori adſcribit; quo loco cur κατὰ πρόληψιν loquutum eum dicamus, nihil cauſſae eſt. Adde Artemidorum Epheſium lib. II. τῶν γεωγραφουμένων, apud Stephanum grammaticum, cujus integrum caput ex Porphyrogenneta a ſe emaculatum affert Voſſius ad Melam lib. II, cap. 6: Διήρηται δὲ ὑπὸ ῥωμαίων εἰς δύο ἐπαρχίας· πρώτη μὲν ἐπαρχία διατείνουσα ἀπὸ τῶν πυρηναίων ὀρῶν ἅπασα μέχρι τῆς καινῆς Καρχηδόνος, καὶ τῶν τῆ βαίτιος πηγῶν. Denique auctor accedat multo graviſſimus Pompejus magnus, de quo haec Plinius l. III, c. 3: *Cum Pompejus Magnus*, inquit, *tropaeis ſuis, quae ſtatuebat in Pyrenaeo, DCCCLXXVI. oppida ab Alpibus ad fines Hiſpaniae ulterioris in ditionem a ſe redacta teſtatus ſit.* Hunc locum indiligenter, ut mihi quidem videntur, Plinii ſcholiaſtae praetereunt, ut et alterum libri VII, cap. 6. huic omnino geminum. Sed quid eſt ſimpliciter *In ditionem redacta?* Ita ne Plinius; immo quid Plinius? Pompejus potius, cujus Plinius verbis hic loquutus eſt, in titulo rerum ab ſe in iis locis geſtarum, quem publice ad poſteritatis memoriam dedicabat, ſolemnia illa omiſiſſet P. R? Atqui ne Auguſtus quidem rerum jam potitus praetermiſit in baſibus obeliſcorum, quae hodieque in urbe viſuntur, altera ſatis celebri, altera ſatis obſcuro et foedo loco, quam quoties intueor, toties poenae, quam ſibi hortorum ille apud Horatium deus imprecabatur, in mentem venit; certe ne ſemel quidem eo acceſſi, quin *Iulius et fragilis Pediatia*, ceterique iſti,

isti, quos *futuros* Plautus diceret, discedere statim cogerent. In his ergo basibus diserte: AEGVPTO IN POTESTATEM. POPVLI. ROMANI. REDACTA, Sed haec ἐν παρόδῳ· illud ad rem, magnam partem horum oppidorum, quae Pompejus in deditionem accepit, certe celebriora et illustriora, hoc ipso tractu fuisse, qui inter hiberum, et eos quos dixi terminos a fretu balearico ad oceanum cantabricum excurrit, facile ex Livii lib. xxxv, ubi Oretanos in citeriore Hispania ponit, Caesare *de Bello Civili* lib. 1, cap. 61, Appiano, aliisque scriptoribus confirmare possem, si hoc agere vellem. sed satis haec fortasse ad quae, ut diximus, infra de altero fragmenti loco disputabimus.

HERTVLEIV^) Iam nunc igitur Sigonii, quo ingenio ac doctrina viri! conjecturae amplius locus non erit, qui scholiis ad epitomen lib. xc. Plutarchi Ἐξέννιον, et hunc Livii Hertulejum pro eodem accipiendum esse suspicatus est; in quo parum, aut nihil hominem, ut dixi, doctissimum vidisse, quis tanto nunc illo minor non videt? Cujus autem, nisi harum membranarum beneficio videt? Sed redeo ad Hertulejum, cujus nomen varie in Sallustii fragmentis, epitome Livii, Floro, Orosio, Eutropio scriptum offendi: alibi enim *Herculejus*, vel *Hirculejus*, alibi *Hirtulejus*, et, si superis placet, in quibusdam etiam exemplaribus *Hertulegius;* apud neminem vero, in quem equidem inciderim, *Hertulejus*, quae harum schedarum lectio est, quam-

que praeferre ceteris non dubitarem, nisi in plerisque propriis nominibus turpiter lapsum hunc descriptorem viderem. Sed hoc non magni momenti est; illud ponderosius, (quod hactenus tamen criticorum diligentiam fugit), quod Eutyches *de Adspiratione* hoc nomen diserte per *HI*, non per *HE* scribi docet oportere: *I vocalis*, inquit, *ante R semper adspiratur, ut Hircus, Hirquitallus, Hirtulejus, Hirtus proprium, nisi aut monosyllabum sit, ut Ir, aut ex motu recti etc.* Quae sequuntur, videantur, si tanti est, apud eumdem. Quantum autem unius quamvis antiquissimae membranae lectio praeponderari debeat ea, quam consulto, atque exempli loco vetus grammaticus afferat, nemini, puto, obscurum est. Illa enim unius antiquitatis testimonio, haec et antiquitatis, hoc est, temporum illorum, quibus grammaticus vixerit, testimonio nititur, et praeterea consensum, et auctoritatem continet superiorum.

ADMINISTRARE VELLET) Postrema hujus verbi littera ita cum prima subsequentis connexa, ac colligata est, ut tamen nemini, qui accurate locum inspexerit, quota vocalis sit, dubium esse possit. Itaque vel post ADMINISTRARE excidit, ut opinor, pronomen IPSVM, aut quid tale, quod ab oscitante librario praeteritum sit; vel reponendum est ADMINISTRARI.

NE ACIE CVM METELLO) Iam tum videlicet metuens, ne, quod eventus postea declaravit, narrabatque hoc eodem libro Livius, si rem

proelio

proelio committeret, ab eo debellaretur. At enim cum Hirtuleji res tam ancipiti loco essent, quid ipse continuo in ultimos Berones receſſit? Quorsum hac expeditione spectavit?

IN ACIEM) Hic et sequens versus omnium postremi lecti sunt. ACTIM primo scriptum videbatur: quod admoneo, ne cui mirum sit, si aut nos in his schedis, aut quod multo mihi verosimilius est, in exemplari suo librarius, E pro I acceperit in verbis VIRONVM et CERINDONES. Iam quae sequuntur usque ad PERPERNAM, fateor, me eorum sententiam non satis adsequi posse; si solum, est cur meam tarditatem accusem; si cum aliis, postquam haec in aliorum quoque manus pervenerint, tum vero ejus rei culpam in vetustatem conjiciemus, qua factum est, ut tribus amissis versiculis, filum quoque cogitatorum, consiliorumque egregiorum maximi ac callidissimi ducis interrumperetur.

CONSVMPTIS) Ita REDEMPTA in fragmento plebisciti de Thermensibus majoribus Pisidis apud Vrsinum; REDEMPTORIBVS in fragmento S. C. de ludis saecularibus apud eumdem; EXEMPTVM pariter apud eumdem in fragmento legis judiciariae; REDEMPTOREI apud Mazochium in fragmento britannico tabulae heracleensis cap. II; ADEMPTVM apud eumdem in fragmento neapolitano ejusdem tabulae cap. VIII; EMPTVM apud Muratorium p. DLXXXII. in tabula, quam nec semel ipse vidi, posita Pisone, et Gabinio Cos.; SVMPTVM apud Fa-

 brettum

brettum cap. II, num. 297, quae basis Antonini Pii principatu scalpta est; denique CONSVMPTVM in epistylio veteris aedis, quod etiamnum visitur ad radices Capitolii. Quare nihil caussae esse posset Mureto, Lambino, Sanctio, Perizonio, aliisque, si viverent, cur secus, quam ipsi fecimus, de harum membranarum aetate ex hujus verbi scriptura statuerent. Nec aliter profecto Ciceronis temporibus, quaeque proxime antecesserunt, aut consequuta sunt, atque adeo ab ipso Augusto scribi haec verba consueviſse, tam mihi exploratum est, quam errare eos, qui contra sentiunt, Lambinum in primis, hujusque adstipulatores Dausquium ac Sanctium. Sed hac de tota re plenius, atque inquisitius ad ipsius DIVI AVGVSTI SCRIPTORVM FRAGMENTA, ubi, quod pace tantorum virorum dictum sit, qua de arte ipsi disputabant, quamque profitebantur, ejus artis falsam sibi persuasionem induisse, pluribus demonstramus.

MARITIMAM REGIONEM) Quid sequitur? SVPPLEMENTVM ne, an SVPERPOSITVM, an quid aliud? Sed et ex triginta admodum versibus, qui sequebantur, praeter pauca verba, eaque valde lacinioſa, maleque inter se cohaerentia, reliqui omnes ita deliti, ac detriti sunt, ut cum plautino Pseudolo credam, *nisi Sibylla legerit*, an divinaverit potius? *interpretari alium potesse neminem.*

OPPVGNARENTVR CEL: IBER:) Sertorium, puto, sic loquentem, aut scribentem Livius inducebat:

inducebat: ut quod in epitome lib. xcI. legitur: *Sertorius aliquot urbes expugnavit, plurimasque civitates in potestatem suam redegit*, hoc totum fortasse de populis Celtiberorum intelligendum esset. Sane autem Contrebiam, quam ab eodem paullo supra expugnatam legimus, non obscure Florus Celtiberorum oppidis accenset. Vide hunc lib. II, cap. 17. Sed haec non aliter, quam pro conjectura accipi volo: quis enim liquido praestet, illa ex Sertorii persona fuisse scripta?

RVSITANIAM) Pro quo unice verum puto LVSITANIAM. Quid tam dissimile, dices, quam harum litterarum R et L notae? Assentior: sed hoc quoque non negandum est, necessariam plane ad sententiam earum permutationem videri. Ac cum nondum antecedentia lecta essent: nam ὕστερον πρότερον in hoc describendo fragmento versati sumus, in mentem veniebat AVSITANIA ab Ausetanis cis hiberum, qui sive pro eadem gente in Livio ac Plinio accipiendi sunt, seu, quod accuratissimae diligentiae vir Petrus de Marca contendit, pro duplici, non plane utrumque a Livianae orationis contextu alienum erat, nec inepte horum regio maritimae orae opponi videbatur. Sed postquam superiora, ut diximus, lecta sunt, statim hanc conjecturam abjeci; alteram, de qua dicere ingredior, amplectendam statui. Supra igitur: ET IN ALTERAM PROVINCIAM, quo verbo vlteriorem Hispaniam venire, satis ibidem meo quidem animo perspicue demonstratum est; ex quo perfacilis

 modo,

modo, et perexpedita hujus alterius loci correctio fit, ut nimirum reponamus LVSITANIAM. Hactenus de voce; nunc ad rem quod spectat, si qua in parte Lusitaniae Hirtulejus tum morabatur, libet indagare, dicam, ac fortasse longius, quam pro scholiorum breviloquentia, excurram; tamen non omnino dictorum poenitebit; ex quibus et Flori non satis, ut equidem arbitror, intellectus locus, et haec tota de Hirtuleji rebus historiae pars illustrabitur. Igitur inter Anam et Tagum censeo. Florus ipse lib. III, cap. 22. *Prima per legatos*, inquit, *certamina habita, cum hinc Domitius et Thorius, inde Herculeii* (lege *Hirtuleii* ex iis, quae supra adnotavimus, quibus consentit calamo exaratus Flori liber Bibliothecae Pal. apud Freinshemium) *proluderent; mox his apud Segoviam, illis apud Anam flumen oppressis, ipsi duces cominus invicem experti apud Lauronem, atque Sucronem aequavere clades.* Loquitur de Bello Sertoriano; Hirtulejos autem cum dicit, duo accipiendi sunt fratres ex Orosio lib. v, cap. 23. *Hirtuleii fratres interfecti;* quorum alterum, hoc est Lucium, cujus hoc ipsum fragmentum meminit, Sertorii quaestorem fuisse, epitome libri XC, et XCI. Livii docet. Sed levia haec et protrita; illud non item, quod in Flori loco pronomen *his* referendum ad remotiores *Domitium*, et *Thorium, illis* ad propinquiores *Hirtulejos* videtur: ut ita locutus sit Florus, quemadmodum Valerius lib. II, cap. 7. de Scipione: *Devicta Carthagine .... gravius in Romanos, quam in latinos trans-*

transfugas animadvertit: hos enim tamquam patriae fugitivos crucibus affixit, illos tamquam perfidos socios securi percussit. Qua de loquendi ratione abunde exemplorum suppeditabunt Stevechius, Sanctius, Perizonius ad huius Minervam, aliique. Nunc ut κατὰ μέτον singula colligamus, constat primo ex Livii epitome, Domitium et Thorium proelio victos ab Hirtulejo prius fuisse, quam hic cum Metello congrederetur; deinde ex Floro, alterutrius partis legatos apud Segoviam, sive hanc ad Tagi et Durii fontes, sive obscuriorem alteram, quam nonnemo ad Baetim agnoscit, oppressos occubuisse; denique ex libri xcl. epitome, Metellum cum Hirtulejo quaestore congressum hunc debellasse; contra ex hoc fragmento, Hirtulejum in Lusitania in eo jam fuisse, ut in aciem cum Metello descenderet; ex quibus omnibus quid efficitur, nisi eumdem Hirtulejum in Lusitania, atque adeo apud Anam fuisse oppressum, Domitium autem et Thorium apud Segoviam? Adstipulantur huic conjecturae nomina oppidorum ejus regionis, quae Ana et Tago continetur: alterum enim *Castra Caecilia* a Plinio, *Caeciliana* in Antonini itinerario vocatur, alterum hoc eodem itinerario *Metellinum*, et Plinio lib. iv, cap. 22. *Colonia Metallinensis*, de quorum positu, praesertim Metallinensis coloniae, sive ut verius puto, Metellinensis (retenta est enim hodieque in principe syllaba *E* littera in voce *Medelin*) videri possunt hispani scriptores, et vir cumprimis insignis Resendius. Ac video

ex

ex neotericis etiam geographis fuisse, qui dubitarent, a Caecilione Metello, an a metallis, quibus ea regio ferax est, nomen loco inditum sit; sed quae hactenus adnotavimus, a Metello magis suadent: ad quod accedit, quod alterum ejus tractus oppidum quin ab hujus ipsius Metelli nomine dictum sit, vix est, ut revocari in dubium possit. Haec de Flori ac Liviani fragmenti loco εὐστόχως fortassis, si per Vossium liceret: is enim ad Melam lib. II, cap. 6. antequam Hispania in tres provincias a Romanis divideretur, Lusitaniam a Tago incepisse, quae vero regio Ana et Tago fluminibus continetur, eam Celticorum nomine venisse affirmat, reprehenditque hoc nomine Melam, quod de Baetica ac Lusitania loquens scripserat: *Eas fluvius Anas separat.* Sed Melam reprehensione carere, mihi quidem dubium non est, nec Vossio opinor fuisset, si ad quae Resendius alio quidem spectans, litteris ea de re mandaverat, animum intendisset. Ego unius hic Hirtii testimonio satis idonei, ut arbitror, auctoris me tuebor, cujus quidem Vossium verba non legisse, aut, si legit, tamen in sua haeresi perseverasse, mirum est: plane enim continentia mihi videntur. Hic igitur *de Bello Alexandrino* cap. 48. *Cum in Lusitania*, inquit, *Medobregam oppidum, montemque Herminium expugnasset, quo Medobregenses confugerant, iterum HS. centies milites donavit.* Jam igitur ante Augustum ille tractus, in quo Medobrega, ac mons Herminius erant, hoc est ille ipse, quem pertinuisse

ad

ad Lusitaniam negat Vossius, Lusitaniae nomine, Hirtio auctore, veniebat.

BVRSAONVM) Qui Plinio libro III, cap. 3. *Bursaonenses* a Βέρσαδα, ut nonnulli volunt, Ptolemaei lib. II, cap. 6; quod mihi vix probatur: verius enim hinc fuisset *Bursadenses*, vel *Bursadini*, aut quid hujusmodi. Itaque, aut illa Livii et Plinii aliunde, quam a Ptolemaei Bursada figurata sunt, aut hoc nomen, ut in Ptolemaeo multa, descriptorum inscitia depravatum est. Hirtius quoque *de Bello Hispaniensi* cap. 22. *Qui in oppido Attegua Bursavolenses capti sunt;* et mox *Bursavolensibus*, quos unum eumdemque populum, ac Plinii *Bursaonenses* fuisse, ita recentioribus geographis assentior, si tamen *L.* littera in *N.* commutata fiat *Bursavonenses*. Nam ad quintam vocalem quod attinet primae et quartae immissam, id nihil moror. Animadverti enim, aliis ejus gentis nominibus pariter usuvenisse, ut quae in uno scriptore per *ao*, in altero per *avo* notata sint, seu quod ita hispanorum ore, quod mihi verisimillimum videtur, conciperentur, idque nonnulli scriptores, militares praesertim, (quibus non tantum otii sub pellibus relinquebatur, ut in verborum, maxime quae tum primum inaudiebant, perinde atque in rerum cura nimis anxie occuparentur) sequuti sint, seu quae alia hujus varietatis excogitanda et reddenda caussa est. Sic quae urbs Plinio lib. III, cap. 1, et in Antonini itineratio est *Vrcao*, vel *Vrgao* in veteri lapide apud Gruterum pag. CCXXXIV. est *Vrgavo*:

Vrgavo: MVNIC. ALBENSE. VRGAVON, quam inscriptionem cur Harduinus fictam, et recentem appellet, caussam adhuc quaero; nec ullam, quae re, aut in speciem probabilis sit, reperio. Quod ipsum viro κριτικωτάτῳ, qui cum eam paucis his ante diebus legi et expendi, Antonio Regio, Contiae Bibliothecae praefecto visum fuisse, quis, qui hominem novit, non magni ducat? Pariter pro *Ilercaonia* in vetusto numo apud Spanhemium *Dissertatione* IX. legitur: M. H. ILLERGAVONIA DERT, hoc est, *Municipium liberà Illergavonia Dertosa;* et apud Caesarem loco, de quo supra loquuti sumus, *Ilurgavonenses.*

CASVANTINORVM) De hac voce nihil habeo certi, quod statuam. Itaque dicam, non quid contendam, sed quid opiner. Quid si igitur CASCANTINORVM? Calaguris enim, cujus hoc ipso loco meminit Livius, Straboni, Ptolemaeo, aliisque in Vasconibus, in quibus pariter eidem Ptolemaeo Graccuris et Cascantum. Adde Antonini itinerarium ex Alpibus Cottiis ad Galleciam:

CAESARAVGVSTA.	M. P.=
CASCANTO.	M. P. L.
CALAGVRRA.	M. P. LXXIX.

Et alterum ab Asturica Tarraconem:

GRACCVRIS.	M. P.=
PALSIONE.	M. P. XXVIII.
CAESARAVGVSTA.	M. P. XXXVI.

Quare a Caesaraugusta Cascantum L passuum milibus aberat, contra Graccuris LXIV, utraque

oceanum

oceanum cantabricum versus; quodque hinc consequitur, haec duo oppida non multum a se invicem recedebant. At enim Plinio oppidani sunt *Cascantenses* lib. IIII, cap. 3: *Cascantenses*, *Ergavicenses*, *Graccuritanos*. Ita; sed eidem, ut proxime observavimus, sunt *Bursaonenses*, qui Livio tamen *Bursaones*. Non tanti hoc igitur. Ceterum adscribant per me licet, quibus lubitum erit, hoc oppidum aliis, quae nunc primum *in apricum*, ut ait Horatius, hujus fragmenti ope protulimus; mihi magis, ne nihil dicerem, quam ut quidquam dicerem, in quo mihi ipsi penitus satisfacerem, visum est haec adnotare.

GRACCVRITANORVM) In voce Graccuris ne Tiberii quidem aetate fuisse C litterae adspiratum, testimonio sunt hujus imperatoris numi apud Suritam et Augustinum, in quorum aversa parte scriptum legitur GRACCVR, et per duplex RR, GRACCVRRIS; urbs, ut supra vidimus, medio inter Asturicam et Caesaraugustam itinere, quod diligenter notandum est: pertinet enim ad quae paucis post verbis de Calaguris Nasicae positu disputabimus.

SEGITIBVS) Sic SOLI INDIGITI in fragmento fastorum Tiberii aetate scalptorum, ex quo Aquilae cum essem, exemplar, quod apud me servo, studiose fideliterque excepi adjutus opera viri undecumque doctissimi, atque in his studiis multo eminentissimi, Venantii Lupacchinii: nam aliorum, quae adhuc typis expressa in manibus eruditorum versantur, non dici potest, quam

quam multis, quamque gravibus mendis foedata sint. Sic etiam BENIFICIO, in fragmento orationis, quae Augusto imperante in marmorea tabula incisa legitur apud Fabrettum cap. III, num. 323. Item BENIFICIARIO in inscriptione ejusdem aetatis apud me; aliaque huius generis, quorum exempla suppeditabunt antiquarum inscriptionum συναγωγαί.

CALAGVRIM NASICAM) Plinius lib. III, cap. 3. geminato sibilo: *Calaguritani, qui Nassici cognominantur.* Ceterum hic locus mirifice, si verum amamus, viri excellentis Petri de Marca opinionem confirmat, qui Calagurim Ilergetum Oscensibus contributam, non hanc quidem Nasicam, sed alteram Fibularienſem fuisse defendit, contra quam Augustino, Suritae, Oihenarto etiam, si probe memini, aliisque quibusdam hispanis scriptoribus visum erat. Ac cum Livius dicat, Sertorium ex Graccuritanorum finibus ad Calagurim venisse, tum ponte facto amnem propinquum urbi fuisse transgressum, id certe efficitur, Calagurim cognomento Nasicam ultra Hiberum fuisse sitam. Quare quae cis flumen erat, quid relinquitur, nisi ut Fibularienſis et esset, et cognominaretur?

BENIT) Pro VENIT, ut et contra VIRONVM pro BERONVM infra in his ipsis schedis. Fons erroris, (si tamen error dicendus est, in quo tam multi, tam saepe, tamque vulgo peccabant), propinquitas et cognatio litterarum V et B, de quibus exstat Adamantii Martyrii libellus

bellus apud Cassiodorum de Orthographia; qui quidem libellus, quis credat? hujus ipsius generis, quo minime omnium debuit, turpi menda inquinatus circumfertur. Nam quod initio capitis IV. legitur: *De B littera trifariam in nomine posita, quantum possibilitatis fuerit, sufficienter, ut opinor, tractabimus*, ibi *tractavimus* legendum est, referendumque hoc verbum non ad id, quo de hoc capite IV. agitur, sed ad quod tribus prioribus capitibus tractatum est. Sed hujusmodi mendam in parisino Garetii exemplari jam sublatam animadverti; tamen in hoc ipso exemplari ejusdem capitis inscriptio retenta est: *De B littera trifariam in nomine posita*, quae haud dubie ex iis, quae proxime adscripsimus, verbis concinnata est, omninoque delenda videtur, inque ejus locum haec altera ex ejusdem orthographi verbis excerpta substituenda: *De B littera, quae similiter in verbis invenitur*. Sed de Martyrio hactenus. Nunc ad scribendi et pronunciandi hunc morem quod attinet, nolim eum, cum homine satis ignava opera, et subleſta fide, cujus nomini, et operis, quod vulgavit, inscriptioni nunc parcitur, ad tempora, quae translatam Byzantium imperii sedem consequuta sunt, referre, cujus opinationis vanitatem satis, me tacente, sequentia coarguent. Ac primo in tabulis sastorum Fratrum Arvalium in Muratorii Thesauro pag. CCCXL, quae Commodo imperante scalptae sunt, BERBECES semel, VERBECES passim scriptum est, et CORONIS BITTATIS

pro VERVECES et VITTATIS. Et apud eumdem pag. cccxxvi. in lapide posito Pudente et Pollione Coss. prioris consulis nomen item per B, non per V, scribitur SERBILIO. Adde inscriptionem, quam a Donio acceptam refert numquam satis laudatus homo Franciscus Antonius Zacheria, cujus cum in his litteris, tum in omni propemodum doctrinarum atque eruditionis genere praestantiam, caecus aut invidus sit, qui non agnoscat, ipse ingratus, si non praedicem: in hac igitur inscriptione apud Donium pag. CDLIV, et in isagogico Zacheriae libello de *Vetustis Latinis Inscriptionibus* pag. 523. legitur FVRIVS BERECVNDVS, qui titulus scalptus est Torquato et Herode Coss. hoc est, Pio imperante, cujus aetatis etiam illa est, quam ex Fabretto, cum de Marci pronomine loquuti sumus, supra attulimus, in qua paucis verbis ante legitur VNIBYRIA pro VNIVIRIA. Sed haec ad institutum satis: nam cetera hujus generis si persequi velim, concubium, ut ait Plautus, sit noctis prius, quam ad postremum perveniam.

CASTRA POSVIT) Pariter supra: HIBERNACVLIS SECVNDVM OPPIDVM AEDIFICATIS, quam notationem non otiose a prudentissimo historico fuisse inductam, ii intelligent, qui in Plutarcho legerint, Sertorium, quae ejus animi temperatio moderatioque fuit, tum, ut magis hispanorum voluntates sibi adjungeret, hospitiorum intra oppida praebendorum morem sustuliſſe, militemque suum ἐν τοῖς προαστείοις castrametari

metari coegisse, ipsumque adeo ceteris exemplo suo praeivisse.

. M. MASIVM QVAESTOREM) Vtique suum. Duorum igitur opera in provinciae, seu belli Hispaniensis rationibus administrandis Sertorius usus est, huius M. Masii ac L. Hirtulejî. Ac de Hirtulejo quidem Livii, quam dixi, epitome diserte tamquam de Sertorii quaestore meminit; de Masio vero, cujus quidem scripta nunc exstent, cujusque ipse meminerim, adhuc nemo.

ARVACOS) Ab Arvane, quam Plinius oppidis hispalensis conventus adnumerat? Non sane opinor: hujus enim derivativum est *Arvensis* in lapide apud Gruterum pag. CCCLXXVI. ORDO MVNICIPII ARVENSIS. Quamquam quid hoc curo, quod nihili est? Illud igitur potius, seu dicam me unice movet, quod nemo facile in animum induxerit, Sertorium tam longe ad militum delectum quaestorem suum misisse, nec si hoc voluisset, alicui potius, qui cum Hirtulejo erant, id negotii dedisse. Itaque non dubito, quin AREVACOS legendum sit, quam ipsam vocem ab antiquario, vel quisquis codicem recensuit, non fuisse emendatam, vix adducor, ut credam, etsi nulla emendationis vestigia diuturnitas reliqua fecit. Plinius lib. III, cap. 3: *Ad Tagum Carpetani, juxta eos Vaccaei, Vettones et Celtiberi Arevaci;* et libro IV, cap. 20: *Durius amnis, ex maximis Hispaniae, ortus in Pelendonibus et juxta Numantiam lapsus, dein per Arevacos, Vaccaeosque etc.*

Aliter hunc locum interpungendum putat Bernardus Aldrete, ſuaeque hujus opinionis rationes erudite perſequitur toto capite v. lib. I. operis, quod inſcripſit: *Varias Antiguedades de Eſpanna* etc.; quod Harduinum fugit; mihi tamen verior hujus et Dalecampii interpunctio viſa eſt, quam ſecutus ſum.

CERINDONES) De hoc pariter nomine opiniones doctiorum exſpectabo. Interim mihi haec canam. Vtrum igitur pro uno populo, ſeu civitate accipiendum eſt, an pro regione? Sane utrovis modo acciperemus, ſcite ac litterate acciperemus. Nam ad prius genus quod attinet, de quo uno ſuboriri dubitatio poſſet, Florum quidem et Appianum aliquoties ſic loquutos animadverti; ac ne a Livio, immo hoc eius fragmento diſcedamus, clare hic ſcribitur: SEGOVIAM ET IN VACREORVM GENTEM, ubi cum una civitate regio duodeviginti civitatium conjungitur. Tamen magis inclinat animus, ut putem, integram regionem eo verbo fuiſſe a Livio ſignificatam: poſt paullo enim: AD CONSCRIBENDOS EX IIS GENTIBV, quod nomen non utrobique aeque patere, nec una eademque notione de Arevacis ac de Cerindonibus accipi debere, id vero a Livii loquendi ratione ſane, explicata ſplendidaque, qua ubique uſus eſt, longiſſime remotum videtur. Iam qui iſti Cerindones, dices? Itane porro, quod multis totos aliorum libros edentibus vix contigit, nobis unis divina quadam virgula contigerit, ut

ex

ex tam brevi, tam lacinioso scripto tot nova urbium, ac locorum nomina erûeremus? Quid si denique CERINDONES in PELENDONES mutandum sit? Equidem nihil affirmo. Sed interim viderint peritiores, ecquid nimis audax unius litterulae, hoc est C in P, videatur mutatio, quam si receperimus, tum vero laborare nos de duabus reliquis affinium depravationum, quas in hoc ipso fragmento notavimus, exempla non sinerent. Pelendones porro cum Arevacis continentes fuisse, docebunt Plinius et Ptolemaeus.

CONTREBIA ::: E LEVCADA) Leucadam addit, ut ab altera cognomine distinguat, quod Livio, Plinio, aliisque scriptoribus solemne: apud quos ubicumque haec cognomina occurrunt, ea nonnisi distinguendi gratia apposita esse intelligendum est, contra quam aliquando in vetustis lapidibus, atque in iis cognominibus, quae a regionibus ducerentur, factitatum fuisse, docui in mea lucubratione de VRBE AVEIA pag. XIII et seqq. ubi novum Teate apud Daunios, veteribus ac recentioribus geographis immemoratum, Livio et Frontino restituimus, de qua urbe praeterea intelligendos esse numos cum inscriptione TIATI, primi, (quod Galli cujusdam τῦ ψευδοφίλυ caussa dictum volo) docuimus, cum hactenus hos de Teate Marrucinorum interpretati sint. Iam Contrebiae, cujus caussa hic est institutus sermo, nusquam in veterum scriptis, praeterquam hoc uno Livii loco mentio fit; quo ma-

jore pretio hoc fragmentum omnibus antiquitatis ſtudioſis eſſe debet. De poſitu ſi quaeratur, dicam, ſed ut in re obſcura, timide ac diffidenter. In Pelendonibus igitur arbitror, aut ſi mavis, in horum et Vaſconum finibus. Qua enim opportunior Sertorio tranſitus ex Beronibus in quamcumque regionem cogitaſſet, ſeu Luſitanorum, ſive Hedetanorum, ſeu denique interjacentium populorum? Nam de altera citerioris parte, quae cis Hiberum eſt et pyrenaeis praetenditur, ne cogitemus, ratio ipſa, ni fallor, belli aperte prohibet. Quorſum hac enim, quo maxime tempore hujus, quod dico, belli moles ſucronenſi tractui et Luſitaniae tota incubuerat?

C. INSTELVM) Non dubitavi, cum ad hunc locum pervenimus, quin INSTEIVM legendum eſſet pro eo, quod Brunſius INSTELVM malebat. Sed inſpecto exploratoque diligentius loco, plane, ut iſte affirmabat, ſcriptum eſſe comperimus; qua in re ita demum acquievi, ut tamen depravati hujus nominis culpam in librarium transferendam eſſe, verum, atque a Livii archetypo profectum INSTEIVM eſſe contenderem. Nam et gentem Inſtejam ex compluribus veterum monumentis ſatis notam habebam, et alterius illius nominis inſolentiam nullo modo concoquebam; cum ecce tibi, paucis interpoſitis diebus, ad illum locum pervenimus, in quo ſatis, ut mihi videbatur, aperte L. INSTEIO ſcriptum erat, nec tantum ſpatii inter I et O relinquebatur, quantum transverſae principis udae

lineolae

lineolae signandae relictum oportebat; quod ex contentione aliorum locorum, in quibus eadem littera perscribitur, liquido constabat. Nihilominus Brunsius hic quoque suum INSTELVM videre sibi videbatur; idque ipsum utroque ἀπογεάφῳ sui loco expressit. *Hac in re scilicet una multum dissimiles.*

SEGOVIAM) Segoviam urbem Arevacorum, ad quos ipsos, (si recte ARVACOS in AREVACOS supra mutandum censuimus), tum Masius quaestor mittebatur. Quare frustra, aut falso missus nunc C. Instejus fuisse videri posset. Quamquam non tanti hoc duco, ut aut mendum huic loco subesse ejus caussa existimandum sit, aut de superioris loci correctione dubitandum. Sane enim Masius et Instejus eodem quidem mittebantur, sed alter ad milites, alter ad equites conscribendos. Quid? non equites, inquies, milites sunt? Vero; sed alibi tamen idem Livius distinguit, et alterum alteri genus opponit: ut libro XXII: *Milite atque equite scire, nisi romano, latinique nominis, non uti Populum Romanum.* Caesar quoque lib. II. *de Bello Civili*, cap. 41. *Nec militibus quidem, ut defessis, neque equitibus, ut paucis et labore confectis studium ad pugnandum, virtusque deerat;* qui tamen paucis verbis ante equitibus peditatum opposuerat. Adhuc idem lib. V. *de Bello Gallico*, cap. 10: *Tripartito milites equitesque in expeditionem misit, ut eos, qui fugerant, persequerentur.* Et Sallustius *de Bello Catilinario*, cap. 59. *Instructos ordines in locum aequum deducit,*

cit, dein remotis omnium equis, quo militibus exaequato periculo animus amplior esset, ipse pedes exercitum pro loco, atque copiis instruit; ubi *militibus* pariter pro peditatu accipiendum puto: et *exaequato periculo* cum addit, subaudiendum est cum iis, quibus equus ablatus erat. Quanquam non eo inficias, hoc loco pleraque Sallustii exemplaria *peditibus* praeferre; verum ex superiorum Caesaris ac Livii locorum appositione quid hic etiam sequendum sit, opinor, perspicitur. Ac potuisse *peditibus* a Sallustio poni, non difficulter adducor; at potuisse alterum illud perinde a librariis, aut emendatoribus proficisci, id vero aegre adducar: doctiuscule enim positum videtur, quam ut ab aliquo istorum in textum verborum Sallustii recipi potuerit.

VACREORVM) VACCAEORVM veritati omnino consentaneum duco; aut quod propius ab archetypi scriptura recedit VACAEORVM. Error ortus ex similitudine et propinquitate duarum litterarum A et R, quarum quam facile altera in alteram migret, cum quivis videt, tum hujus generis aliis mendis indicatis ac sublatis docuimus in citata lucubratione de VRBE AVEIA pag. LXX et LXXI.

VMCONVM) VASCONVM jam inde ab initio sum opinatus, qua in opinione cur adhuc perseverem, causae multae faciunt. Ac primo fieri quidem, (quod vix tamen puto), sed fieri nihilominus potest, ut quibus visus oculorum acrior sit, VASCONVM in membranis legant

pro

pro eo, quod VMCONVM nobis scriptum fuisse iterum ac saepius visum est. Deinde cujus non aures obtundat priorum syllabarum concursus plane insolens atque absurdus? Neque enim temere M littera C et K litteris in graecis, aut latinis vocibus praeponi solet. In his, inquies, non ita in peregrinis; hispanicas autem pleraſque hoc ipsum latiali sermone fuisse, ut Plinius loquitur, *dictu difficiles*, testimonio est idem lib. III, cap. 1, et Mela libro item III, cap. 1. *Cantabrorum*, inquit, *aliquot populi amnesque sunt, sed quorum nomina nostro ore concipi nequeant.* Idem etiam Plinius eodem lib. III, cap. 3. Lucensis conventus populos praeter Celticos et Leburos *ignobiles et barbarae appellationis vocat*, quos iccirco tacitos praetermittit. Esto ita. Sed tamen haec ipsa nomina latini scriptores cum in suam linguam, tamquam in alienum solum transferebant, ad suam scribendarum atque appellandarum vocum consuetudinem accommodabant, nec exspectabant, ut diuturnitate, quemadmodum in plantis, asperum atque inconditum morem exuerent; quae si interim temporis progressu nonnihil mutabant, totum hoc non tam de sonorum insolentia et asperitate detrahebatur, quam vocalitati et elegantiae accrescebat. Adde, Beronibus, quo Sertorius meditabatur, finitimos Vascones fuisse, et Calagurim, ex qua proficiscebatur, ad horum regionem, ut diximus, pertinuisse: ut si Sertorio recto itinere, (transmissone iterum flumine, an minus, nihil ad rem: utramque

enim Vascones amnis ripam obtinebant), si recta igitur ducendus in Berones exercitus fuerit, necessario per Vasconum agrum ducendus fuerit. Ac recto itinere, inquam: ne alioqui supervacanea loci haec notatio in Livio videatur; qui ut praeterire eam de aliis loquens potuit, tamen de Sertorio non debuit, cui Plutarchus nominatim ἐνέδρας, καὶ περιδρομὰς attribuit.

VIRONVM) Vtinam tam facile videre alibi verum liceat, quam hic licet! VIRONVM enim hoc loco minime mihi quidem dubium est, quin somniculosus scriba pro VERONVM posuerit; hoc autem pro BERONVM, de quibus paullo supra: OPPORTVNISSIMVS EX BERONIBVS TRANSITVS ERAT. Quod si cui tantula in tam paucis versibus inconstantia admirationi sit, is admiretur magis, in tam brevi fragmento ab eadem manu BENIT et VENIT, INSTELVM et INSTEIVM, ISDEM et IIS, CONTREBIA et CONTEBRIA, ILVRCAONVM et ILERCAONIA fuisse relictum. Sed eo redeo: Ptolemaeus lib. II. Ὑπὸ δὲ τὰς Αὐτριγόνας βήρωνες, quibus continuo cum Tritio Metallo et Oliva Variam, sive ut ipse scribit, Οὐαρίαν accenset. Etiam Strabo lib. III. Οἰκοῦσι δὲ, inquit, ἐκ μὲν τῶν πρὸς ἄρκτον μερῶν τοῖς Κελτίβηρσι Βήρωνες, Καντάβροις ὅμοροι τοῖς κονίσκοις, ὧν ἐστι πόλις Οὐαρία κατὰ τὴν τοῦ Ἴβηρος διάβασιν κειμένη. Ac continentes quidem Berones Celtiberis fuisse, quis inficias eat? sed non hoc tamen Strabo voluit, sed fuisse ipsis ad aquilonem, contra quam latinus

interpres

interpres eum loquentem fecit. Vtrique igitur geographo in Beronibus Varia, ut et Livio in iisdem Vareja. Haec autem quin eadem sit ac Varia illorum, cui dubium erit? Sane in Strabone et Ptolemaeo ita *Varia* scriptum est, ut in eodem Ptolemaeo *Avia* pro *Aveja*, descriptorum, ut puto, sequioris aetatis vitio, quo praeterea factum est, ut in Plinio quoque hoc nomen corrumperetur lib. III, cap. 3, ubi scribitur: *Iberus amnis navigabili commercio dives, ortus in Cantabris, haud procul oppido Juliobriga per CCCCL. milia passuum fluens, navium per CCLX. a Varia oppido capax.* In quibus omnibus locis, certe in Strabone et Plinio adstipulatu harum membranarum reponendum esse *Varejam*, exemplo, quod attulimus, Avejae urbis, manifesto liquet. Quid praeterea? Etiam: nam hujus, quam dico, correctionis vestigia in palatino Ptolemaei exemplari adhuc reliqua sunt, in quo legitur βαρεία, quod retineri potest, sic tamen, ut κατὰ τὴν διαίρεσιν fiat βαρεῖα. Ad eumdem enim modum, quod graecis Καρτηία est, in quibusdam mendosis exemplaribus Καρτεία scriptum legi, facili alterius in alteram vocalem mutatione. Sed de Vareja ac Beronibus satis, nisi quod tria adhuc verba de Plinii loco, in cujus computatione videndum, an non turbatum sit. Nam subductis CCLX. passuum milibus ex summa CCCCL, colligentur a Vareja ad fontes hiberi CXC, quod mihi vix fit verisimile. Qua de re amplius Hispanis, aliisque ἀρχαιολόγοις cogitandum relinquo: nec enim

enim institutae hujus scriptionis ratio, nec temporis, ut diutius in his immoremur, patiuntur angustiae.

HAVD INOPINANTIB.) Vnum et alterum verbum, quod sequebatur, ut ex his schedis restitui possit, magis optandum est, quam sperandum. Ita enim hoc loco tamquam de industria detritae atque elutae sunt, ut citius nihil umquam in iis scriptum, quam quidquam antea fuisse scriptum suspicari possis.

AVTRIC : :) AVTRIGONVM reponendum esse, constat ex iis, quae proxime de Beronibus et urbe Vareja dicta sunt. De his Plinius, Mela, aliique.

FINIS.

EDITOR

EDITOR LECTORI BENEVOLO.

Quum libelli impressio ad umbilicum fere perducta esset, multiplex tota urbe exorta ac propagata est de Liviano hoc fragmento opinionum dissensio. Erant enim, qui rem in suspicionem ementitae veritatis adducebant; erant qui plane falsam, ac commentitiam praedicabant; denique quidam quum membranas inspexissent, nihilominus in sole, ut est in proverbio, caligantes, quod suismet oculis usurpaverant, vidisse se praefracte negabant. Etsi vero istorum tumultus ac vociferationes omnes paullo cordatiores risu, ut par erat, ac cachinnis exciperent; tamen quum non deessent, qui tot hominum, tantaque confidentia profectis vocibus non mediocriter commoverentur, factum est, ut omnis haec litteratorum natio studia in contraria scinderetur: quumque ille libelli editionem in vulgus, ne quid Vaticanae Bibliothecae nomini officeretur, omnino impediendam acriter contendebat; hic vanis blateronibus os occludendum, nec diutius litterariae reip. tantam voluptatem invidendam existimabat, *hi motus animorum, atque haec certamina tanta* ad aures sapientissimi, atque unius omnium perspicacissimi ac providentissimi Pontificis CLEMENTIS XIV. delata sunt; qui quum hac etiam dote, quae maximos semper Principes comitata est, spectandus sit,

ut

ut amore incredibili bonas artes litteraſque proſequatur, nihilque leve, nihil contemnendum arbitretur, quod ad earum cultum atque incrementum quoquo modo intelligat pertinere, tum hujus praecipue reperti novitate maximum in modum percuſſus eſt. Quamobrem non ſolum quod ipſe eſſet de tantae rei veritate mire ſollicitus, ſed etiam ut omnis, ſua interpoſita auctoritate, vanis quaeſtionibus anſa praecideretur, Viro omni laudum genere cumulatiſſimo, Lazaro Opitio Cardinali Pallavicinio, primario adminiſtro, demandavit, ſuo ut nomine juberet, codicem, in quo T. Livii fragmentum repertum eſſe vulgo ferebatur, ad Petrenſis Archiepiſcopi, Xaverii de Zelada, aedes transferri, ibique a CC. VV. Petro Aloiſio Galletto, Ioſepho Aloiſio Amadeſio ſerio, diligenterque expendi, qui ſeſe deinde de tota re certiorem facerent. Haec Pontifex: cujus quidem conſilio quid ſapientius fieri, quid ad veritatem illuſtrandam accommodatius, quid etiam ad tanti Principis gloriam amplificandam conducentius, non reperio. Nam ſi judicum fidem ſpectes, integerrimi ſunt; ſi eruditionem, doctiſſimi, editiſque operibus orbi litterato notiſſimi; ſi harum rerum peritiam, aetatem ii quidem in hiſce ſtudiis fere omnem ſumma cum nominis ſui laude, ſtudioſorumque utilitate traduxerunt. Quid autem de Xaverio de Zelada dicam, quem romanae purpurae dignitate meritiſſime cohoneſtatum atque inſignitum, omnium ordinum, omnium nationum plauſibus,

sibus, et comprobatione nuperrime ipsi vidimus et gavisi sumus? Quum is harum rerum scientissimus, quantum temporis a maximarum rerum curatione ipsi reliquum est, totum evolvendis atque expendendis veteribus codicibus impendat, quorum ingentem, exquisitamque supellectilem summo studio diligentiaque incredibili comparatam domi habet, praeter omnigena venerandae antiquitatis monumenta, rerumque naturalium exoticarum copiam, qua mirifice instructa atque exornata *tota* ejus *domus gymnasium est?* Qua de re nemo tam perfrictae frontis reperiri potuisset (ut repertum iri numquam puto), qui post pensiculatam a tantae integritatis ac doctrinae viris veritatis investigationem, eam revocare amplius in dubium auderet. Quantum vero in hoc suscipiendo consilio CLEMENTIS XIV. sapientia, optimusque ejus erga litteras animus et patrocinium eluceat, sane patet. Quid enim, quaeso, Alphonsum Neapolitanum Regem, qui eo erga Livium amore incensus erat, ut praeter illam omnium fama celebratam ad Patavinos legationem, sese Laurentii Vallae cum Antonio Panormita, aliisque, de germanis ejusdem lectionibus quaestionum arbitrum et judicem interponeret; quid, inquam, amplius facturum hunc fuisse judicabimus, si, ipso vivente, fragmentum hoc in lucem venisset? Quid Magnum Ludovicum, qui amplissimum ac plane regium, quinquaginta aureorum milia, praemium proposuit, si quis Livianae historiae

libros,

libros, jactura sane tristi atque acerba deperditos, sibi stitisset? Quid Leonem ipsum X, qui numquam satis laudando consilio constituerat, ut in Capitolio statis diei horis superstites ejusdem libri romanae juventuti legendi atque explicandi proponerentur? Equidem haud scio, an ii et majori studio de hujus fragmenti veritate certiores fieri voluissent, impendioque magis affici ob hujusmodi repertum potuissent.

Sed, ut interruptum narrationis filum resumatur, optimae, justissimaeque Pontificis voluntati continuo obtemperatum est: inspectum est enim fragmentum, cumque impresso exemplari conlatum; tum judicium chartae commissum, atque utriusque censoris manu subsignatum ad Pontificem delatum. Quod ego doctorum Virorum judicium, utpote nobis atque illis maxime honorificum, inferius attexendum omnino esse censui. Praeterea quum Cardinalem amplissimum de Zelada rogassem, ut scalptori, quem peritiorem inveneram, codicis inspicendi facultatem impertiret, meis precibus annuit incredibili benignitate. Quapropter tanti Viri, quantus Zelada est, non meo quidem unius, sed omnium judicio, humanitati ac juvandae rei litterariae studio debemus characterum specimina, quae nunc multo quam antea diligentius ad autographi similitudinem sunt expressa. Quae res efficiet, vt exteri quoque homines, eorumdem characterum vetustate ac pulchritudine animadversa, non aegre in C. V. Iosephi Spalletti, graecae

cae linguae in Vaticana Bibliotheca ſcriptoris, hominis quum eruditi, tum maxime acri, ſubactoque judicio, ſententiam deſcendent, qui illud cryſtallis incluſum, ac gemmarum aurique ornatu inſigne curioſorum oculis proponendum judicavit. Ego certe illud affirmare non dubitem, Vaticanam Biblothecam, etſi ceteris praeſtantiſſimis codicibus, quibus abundat, careret, tamen hujus unius, atque unici codicis cauſſa, quemadmodum Theſpiae propter Cupidinis ſimulacrum, dignam exſtituram, quae ab omni elegantiarum cultore viſeretur. Quod multo potiori etiam jure pronuntiandum eſſet, ſi reliqui fragmenti verſus, qui prodigioſa vetuſtate deleti quamlibet oculorum aciem effugiunt, medicamenti alicujus ope, redivivi quodammodo in lucem emergerent. Hoc autem ſi ſperandum ab aliquo eſt, a viro certe praeſtantiſſimo, mihique, quod Cl. Giovenazzio conciliatori acceptum refero, amicitia conjunctiſſimo Antonio Minaſio Dominicano, novae papyri ex aloes americanae epidermate tracti, ejuſdemve plantae fibris intertexti repertore, multorumque ac praeclarorum inventorum parente exſpectandum eſt. Qui quidem vir dono quodam providentiae genitus videtur ad ſacra omniparentis Naturae penetralia perveſtiganda, abditiſſimaque ejuſdem arcana in lucem atque in apertum proferenda. Atque haec ſingularis doctrinae fama ad celebriores uſque Academias pervagata non latuit acerrimum doctorum virorum aeſtimatorem

CLEMENTEM XIV, qui nuper eum Lectorum albo in hoc Romano Lyceo adnumerari ac Botanices cathedra cohonestari jussit. Quamobrem quis non mecum optabit, ut talis tantusque vir Liviano huic foetui magis adhuc in lucem extrahendo obstetrices manus adhibeat?

Laetandum interea est omnibus atque gestiendum, quod tam praeclarum fragmentum, tot saeculorum spatio ad hanc usque diem ignoratum, tandem CLEMENTIS XIV. principatu, qui beatam feliciorum Augusti ac Leonis temporum memoriam renovavit, in apricum fortuna protulerit, eique se tamquam ministram et sociam praebuerit ad Bibl. Vaticanae claritatem, et gloriam augendam, latiusque propagandam. Quis enim tam hospes ac peregrinus in urbe est, qui nesciat, quantum decoris atque ornamenti fere quotidie eidem addiderit, quum aliorum immortalium Pontificum, tum numquam etiam interiturae memoriae, optimi, maximique CLEMENTIS XIII. vestigiis insistens, pulcherrima papyrorum collectione jam instituta insigniter aucta, multiplici graecorum latinorumque numismatum, atque aere cusarum imaginum copia illuc invecta, ac denique rarissimis cujusquemodi antiquitatis monumentis, quibus eam admirandum in modum auxit ac locupletavit? Ac quasi intra Bibliothecae limites maxima maximi Pontificis munificentia contineri non posset, erumpere foras voluit, ac exteriores etiam parietes

rietes innumero inscriptionum numero unde unde conquisitarum exornare. Quod eruditum ornamentorum genus, quo maxima pars illius ambulacri, quo in Bibl. ingressus patet, convestiri coepit, tacite quodammodo invitat, ac manu ducit ad propius aedificium recens exstructum inspiciendum, cujus si pulchritudinem, dignitatem, majestatem praedicare aggrediar, dies me citius, quam verba deficient. Ibi columnae, emblemata, urnae, toreumata, sarcophagi, candelabra, signa ex marmore, aut aere prope spirantia, diligentissime conquisita, et munificentissime comparata, regiam CLEMENTIS XIV. munificentiam, optimarumque artium patrocinium, apud consequentes omnes aetates praedicabunt. Quae omnia quum gesta ab eo sint, quo tempore gravissimorum negotiorum mole, quam miro prorsus exemplo sustinere solus coepit, ac porro pergit, tantum non est oppressus, quid eum facturum esse non ominemur, si coepta divinitus, ac paene jam mirifica dexteritate atque sollertia profligata consilia ad optatum exitum tandem aliquando adducentur? Quo magis D. O. M. enixe obsecrandus est, ut bonorum omnium votis expetita beata haec dies aliquando illucescat, ac CLEMENTEM XIV. aureae aetatis conditorem, salvum, atque incolumem Christianae ac litterariae Reipublicae bono quam diutissime conservet. Sequitur doctissimorum censorum judicium.

Mandata Sanctissimi Domini Nostri CLEMENTIS XIV. feliciter regnantis, ea, qua par est, obedientia, atque alacritate exequentes, parvum Bibl. Vaticanae Codicem membranaceum Palatinum, num. XXIV. extra notatum, perquam diligenter, et accurate scrutati sumus, ubi Tobiae, Judith, Job atque Esther libri satis vetusto charactere descripti sunt. Cujus characteris specimen jampridem cum orbe erudito communicaverat Cl. Joseph. Blanchinius in Vindiciis Canonicarum Scripturarum vulgatae editionis, inquiens illum „mirifica praestare antiquitate, „et certam Hieronymianae versionis notam in „subscriptione repraesentare.“ Quum ergo ad ejusmodi examen aggressi essemus, animadvertimus initio hic, atque illic in variis codicis paginis antiquiorem subesse scripturam, partim ex industria, partim ipsa temporis vetustate paene oblitteratam, non ita tamen, ut cum inter lineas sacrorum verborum, tum in marginibus paginarum se peritorum oculis non offerat legendam, non omnem quidem, at majorem certe partem.

Praecipue vero paginas LXXIII. usque ad LXXVIII. perspeximus pulcherrimo primorum aerae Christianae saeculorum charactere, ac procul dubio ante saeculum V. exaratas. Probat id ipsius scripturae forma, Romana nempe vetus, quae usque ad saeculum

saeculum quintum viguit, quo tempore Gothi, Italia fere tota in eorum potestatem redacta litteris suis romanas aliquantisper vitiarunt. Uncialium litterarum forma in codice hoc Palatino satis elegans ad antiquos lapidum characteres accedens aetatem profecto videtur sapere praestantissimi illius Virgilii codicis, qui Florentiae in Bibliotheca Laurentiana adservatur, quique circa Valentis ac Theodosii tempora scriptus existimatur ab Holstenio, ceterisque viris eruditis. Hisce paginis praecedere titulum legimus.

T. LIVI LIB. XCI.

Quamobrem, ceteris omissis, hujus scripturae examini studio et cura omni institimus; qua quidem repetitis observationibus lecta, certo deprehendimus fragmentum esse historiae, seu continuationis historiae de Bello Hispanico contra Sertorium. Qua de re quum amplius non dubitandum nobis videretur, processimus ad fragmenti totius collationem cum exemplari typis nuper edito, quod ex membranaceo ad unguem descriptum omnimodis cum eo convenire testamur, laudantes integerrimam fidem, qua in lucem datum est, quum ne apicem quidem de suo adjeciisse noverimus accuratissimos viros, tum qui illud descripserunt, tum qui publici juris fecit, ubi non licuit fugientes membranae litteras discernere, aut ubi revera desunt verba ac sensus: quae lacunae iterata apteque distributa

punctorum serie in edito exemplari indicantur. Et ideo eorum improbum quidem, sed utilem laborem, atque integritatem, neminem fore confidimus, qui meritis laudibus non prosequatur. Quod nostri examinis et collationis testimonium dedimus III. Nonas Apriles Anno MDCCLXXIII.

D. Petrus Aloysius Galletti Romanus Ordinis S. Benedicti Congregationis Casinensis, Abbas S. Mariae de Fonte vivo, in Bibliotheca Vaticana Linguae Latinae scriptor.

Joseph Aloysius Amadesius Praefectus Archivo S. Ravennatis Ecclesiae.

FINIS.



cumas
dere
pote.
INTER
IONT N
INQU
FATE
INIOB
ASTER
SUBTR
MAXI
TURE
APUTG
APUTL
EDITIO
BASTE
NUPER
TINGE
OCTIN
SUNT
ETIAC
SUSQU

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-1192015415-184843715-10

cumas
dere
pote.
INTER
IONT N
INQU
FATE
INIOB
ASTER
SUBTR
MAXI
TURE
APUTG
APUTL
EDITIO
BASTE
NUPER
TINGE
OCTIN
SUNT
ETIAC
SUSQU

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-1192015415-184843715-10






AD DEC
SAND
OCOL
DOEJU
ANJM
PUGJO
HÖRR
CONST
DJAUD
ULULA
SYRJO
RUERU
ARESC
PUELL
RUNT
ROSFU
EOSPE
LJOAF
NUME
NUMN
OSTR
SES


AODEC
SAND
OCOL
DOEJU
ANJM
PUGJO
HORR
CONST
DJAUD
ULULA
SYRJO
RUERU
ARESC
PUELL
RUNT
ROSFU
EOSPE
LJOAF
NUME
NUMN
OSTR
ses

Ch. 3738. 8

VD18

ULB Halle
004 321 170
3

TITI LIVI
HISTORIARVM LIBRI XCI.
FRAGMENTVM
ANEKΔOTON

DESCRIPTVM ET RECOGNITVM
A
CLARISS. VIRIS
VITO M. GIOVENAZZIO
PAVLLO IACOBO BRVNS

EX SCHEDIS VETVSTISSIMIS
BIBLIOTHECAE VATICANAE.

EIVSDEM GIOVENAZZII IN IDEM
FRAGMENTVM SCHOLIA.

CVM PRAEFATIONE
IO. AVGVST. ERNESTI.

. . . τὸ δὲ ζητούμενον
Ἁλωτόν· ἐκφεύγει δὲ τἀμελούμενον
SOPHOCL. in Oedip. Tyr. v. 110.

ROMAE clɔ ɔɔ CLXXIII.
ET *LIPSIAE* APVD IO. FR. GLEDITSCH.

B.I.G. Farbkarte #13
Inches Centimetres
Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black
Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-1192015415-184843715-10
DFG